

20.414

Tueves á las 5 de la tarde



Foll. 20.414  
SPECIMEN

PHILOSOPHICUM

E CUNCTIS

NATURALIS SAPIENTIAE PARTIBUS

CONFLATUM,

QUOD PUBLICAE PROPUGNATURUS ALEAE

EXPONIT

D. JOSEPHUS LLEDÓ,

ET ANTON,

IN COLLEGIO SEMINARIOQUE ORCELLENSIS  
Academiae Philosophiae Auditor, & Togatus Alumnus.

PRAESES ADERIT

D. FRANCISCUS GARCIA,

ET VERDÚ,

SAC. THEOL. DOCT. ET IN EODEM COLLEG. SEMIN.  
Philosophiae Professor.



IN ORIOL. SS.VV. ET MM.IUSTAE ET RUFFINAE AEDE.

DIE 30 MENSIS Junii

ANNI M. DCC. LXXIV.

VALENTIAE:

IN TYPOGRAPHIA BENEDICTI MONFORT.

Anno 1774.

R. 20.414

Philosophus est is , qui studeat omnium re-  
rum divinarum atque humanarum vim , na-  
turam , causasque nosse , & omnem bene vi-  
vendi rationem tenere & persequi. Cicer. de  
Orat. Lib. I. cap. XLIX.

Veratrum crassiunculè sumptum , purgat;  
in pollinem vero levigatum , suffocat , sic &  
nimis anxia subtilisque in Philosophia dispu-  
tatio. Arist. apud Stobaeum , Serm. LXXXII.

PAID BY THE BANK OF AMERICA



SAN AGUSTIN, Y SANTO THOMAS.

SPLENDIDISSIMIS. ECCLESIAE. FACIBVS

RADIANTIBVSQVE

FIDEI. SOLIDIS. ELATISSIMISQVE

COLVMNIS

HAERETICORVM. GRAVISSIMIS. MALLEIS

RIGIDISSIMISQVE. TVDITIBVS

AFRICAЕ. MONSTRO. HIPPONENSI

PRAESVLI

GRATIAE. MAGISTRO. THEOLOGORVM

DVCI

ECCLESIAE. AQVILAE. AVGVSTINENSIVM

PATRI

TAGASTENSI. AVGVSTINO

ITALIAE. PORTENTO. PARISIENSI

MODERATORI

CONCILIORVM. REGVLAE. SCHOLARVM

ANGELO

ECCLESIAE. SOLI. DOMINICANI. COETVS

DECORI

AVINENSI. THOMAE

QVORVM. VIRTUTES. RE. MAXIMAE  
SAPIENTIA. VERE. SVMMMA  
GLORIA. INENARRABILIS  
DE. PALMA. CERTANT  
QVORVM. SVBEGIT. ILLE. DONATISTAS  
MANICHAEOS. PELAGIANOS  
CVNCTOSQVE. AEVI. SVI. HAERETICOS  
PROSTRAVIT. HIC. ALBIGENSES  
MENDICANTIVM. OSORES  
ET. ALIOS  
QVORVM. SCRIPTA. EXAGITARVNT  
LVTHERANOS. CALVINIANOS  
SOCINIANOS  
SIMILISQVE. FVRFVRIS. CETEROS  
QVORVM. ILLE  
ISTO. DISCIPVLO. GRANDESCIT  
HIC. VERO  
ILLO. PRAECEPTORE. EXTOLLITVR  
NEC. CVI. INDE. MAIOR. INSIT. LAVS. HONORQVE  
COGNITV. FACILE



ILLE  
PONTIFICALI. CORONA. SPLENDESCIT

HIC  
VIRGINITATIS. LAVREOLA. CORVSCAT

ILLE  
ANTE-ACTAE. VITAE. CRIMINA. LACRIMIS. ABR ADENS  
MAGNVS. EFFICITVR

ISTE  
BAPTISMALEM. SERVANDO. CANDOREM

ANGELVS. ADPARET

ILLE  
IMMENSO. DOCTRINAE. THESAVRO  
ECCLESIAM. DITAVIT  
INCLVSIT. HIC. ILLVM. IN. SVA. THEOLOGIAE

SVMMA

INCLVSIT. SEIPSVM  
MAIOR. SEIPSO. ET MINOR

ILLIVS. DOCTRINA  
DEI. ARCEM. FIRMAT. MVNIT. TVETVR

ISTIVS. VERO

ROBORAT. CIRCVMVALLAT. CINGIT

QVIBVS. QVI. ADHAERET

ERROREM. NESCIIT

VERITATEM. AMPLECTITVR. PATRIAM

ADIPISCITVR

IOSEPHVS. LLEDO. ET. ANTON


IN. AMORIS. DEMISSI. ANIMI. CVLTVSQVE

MONIMENTVM. ET PIGNVS

THESES. PVBLICE. PROPVGNANDAS

L. A

N. D. O. C. Q.



# PROOEMIUM

## PHILOSOPHICUM.



IX dum Philosophicam disceptationem calamo subiicere, constitui, cum ab ipsius nomine sermonem trahere duxi operae pretium. Est illud graecum duplici voce conflatum, quarum prima amorem, secunda sapientiam significat, ut aliud nihil sit Philosophia, quàm *studium amorque sapientiae*. Sapientia autem à veteribus dicitur *rerum divinarum, & humanarum, causarumque, quibus hae res continentur, scientia*. Haec cum ratiocinatione sit habenda, videant Sceptici, si qui tamen fuerint, aliique Sectariam, Traditionariamque Philosophiam impensè amantes, ne penes se sapientiam existere, mentiantur. Nomen Philosophia suum Pythagorae refert acceptum in responso ad Leontem Phliasiorum, vel Sicyoniorum Tyrannum, quo se Philosophum, non Sapientem, modestiae ergo dixit; antiquior tamen ipsa est, quam aut Pythagorae, aut cum Laertio Graeciae Philosophis eius initium tribuatur, unus siquidem, idemque fuit hominis atque sapientiae fons, & origo: Eaque iam tunc à principio Deo auctore adulta ab Adamo una cum humana natura propagata est; ut non immeritò *Coeleste munus, ac inventum Deorum* dicatur.

*Nomen, natura, & origo Philosophiae.*

Collapsa sensim deinceps, ab hominibus naturae admiratione perculsis variis saeculis reparata est, inventione, & disciplina. Si quis autem putaverit, illud à patribus in nepotes haereditarium veluti munus ubique transmissum ad haec usque tempora floruisse, per me licet. Ejus vicissitudines in numerum qui redigere vellet, is profectò fluctus numeraret. Illud tamen apprime *comperit hactenus, feliciter adeò Philosophiam*

*Iactura, & instauratio Philosoph.*

phiam ad universum hominum genus brevi transiisse, ut nulla propemodum regio tam rudis, effera, & inculta fuerit, in qua plurimi sapientiae laude, rerum naturalium cognitione, morumque honestate celebres non extiterint. Sic apud Hyperboreos Abaris floruit, apud Arabes Iobus, apud Scythas Anacharsis, apud Thraces Zamolxis, & Orpheus, apud Indos Brachmanes, sive Gymnosophistae, apud Sidonios Mochus, vel Ochus, quem unum esse cum Moyse Huetius suspicatur. Gallis etiam Druidae sunt celebrati. Mercurius Germanis, Cadmus, & Sanchoniaton Phenicibus, Italis Etrusci, Lybicis Athlas, Hispanis Turdetani, Sinensibus Confusius, Persis Magi, Assyriis Caldaeus, Aegyptus verò suo Mercurio, seu Hermete, qui Trismegistri nomen obtinuit, gloriatur, tantoque ceteras nationes post se reliquit intervallo, ut ipsa *mater artium* meritò nuncuparetur.

Traiecto autem mari ex Aegypto, & Phoenicia Sapientiae studium ad Graecos delatum uberius adeò, & illustrius evasit, ut *Graecia sola homines generare verè coelestes, atque divinos, natura ad omnem scientiam natos*, putaretur. Nec viri inibi tantùm ad severioria studia convolarunt, sed Mulieres quoque ipsae, quas à liberalium artium studio removendas plerique contrafas, iusque existimarunt, uberrimam hanc gloriae partem aemulatae, maxima ingenii laude florere. Illinc Sapientiae fons, qui principio unicus fuerat, in plures quasi rivulos distributus in Italiam fuit translatus, quae

*Graecia capta ferum victorem vicit, & artes  
Intulit agresti Latio.*

*Sectarum  
multitudo.*

Num censes, eandem apud gentes haec omnes extitisse philosophandi methodum? Utinam; veritati certè consultum fuisset: ceterum naturae obscuritate, novitatis amore, dissendi cupidine, partium studio, quandoque etiam veritatis ardore, in plures Sectas divisa, ac veluti discerpta fuit. Id elegantissimè expressit Boetius, dum Philosophiam ipsam in Ticinensi carcere squallido vultu, discissa veste, passis capillis, demissis oculis, suffusisque genis sibi apparuisse finxit; idque ab aeternis Philosophorum dissidiis illa se passam esse maestissimè querebatur. Qui autem Sectas omnes exponere conaretur, is verò omnium sibilis esset excipiens. *tantum praecipuas nu-*

*ane-*

merare fas est, quarum nomina, patronos, ortus, propagationem, incrementa, aliaque quamplurima eruditionis causa praesto sum, si libet, aperire.

At quaenam tot inter Sectas feligenda, quam in turbulento variarum opinionum mari pro nautico fidere prospiciamus? Dicam paucis: Nulla. Nulla adeò enim vera est, quae non pleraque falsa, dubia, & incerta contineat: *docemurque*, (ait Lactant. instit. 7. cap. 7.) *nullam fuisse tam deviam, neque Philosophorum quemquam tam inanem, qui non viderit aliquid ex vero. Quod si extitisset aliquis, qui veritatem sparsam per singulos, per Sectasque diffusam colligeret in unum, ac redigeret in corpus, is profectò non dissentiret à nobis.* Philosophi quippe est solius Sapientiae amore capi. *Quid verò (clamat primi subfelii Philosophus Cicero) tam temerarium, tamque indignum Sapientis gravitate, atque constantia, quam aut falsum sentire, aut quod non satis exploratè perceptum sit, & cognitum, sine ulla dubitatione defendere, & innumera, quae adhuc nos latent, quaeque nos tenui vix coniectura, vel divinando consequimur, veluti cognita, & certa tueri? Id optimè profectò noverant egregii Sapientiae duces, Socrates, Plato, Aristoteles, à quibus, ex uberrimis veluti fontibus, illustriores omnes Philosophorum Sectae manarunt, quosque plerique, non ut ingeniorum duces, sed ut dominos sequuntur, victas eis manus in formam mancipii dantes; à quibus proinde vel linea recedere, piaculi loco habent. Quam procul absunt, ut primorum Philosophorum exempla imitentur! Ego verò nulla mihi videor adstrictus necessitate, ut mihi, velim, nolim, sit certa quaedam tuenda sententia, aut cuiusquam Sectae albo nomen inscribendum. Fallor? Philosophia Eclectica, ais, unicè veritati studet: Illa ergo tenenda? Cedo dexteram.*

Hinc quamquam curriculum confecerim philosophicum Antonii Goudini opera usus, viri quidem Aristotelis, sed tamen ab Scholarum Angelo perpurgati, sectatoris, non ita tamen eius calcavi vestigia, quin ne latum unguem putarem discedendum; immo non semel, è Recentiorum rivulis duxi potandum. Sed cur hunc elegerim? Nempe, missis Antiquis super re unius assis perpetuis litibus implicatis, quique chimeris pasci, vescique amant, Recentiorum nullus est, qui probetur omninò, eorumque Philosophiam sectantur, audacia solùm Veteres, non felicitate, superantes. Systematum

*Electio  
Systematis.*

autem Aristotelem placet, Peripateticorum Goudinus, qui ceteros omnes, novissimis praesertim editionibus, gratia, perspicuitate, dictionis nitore facile antecellit; quique, licet non in omnibus probetur, in plerisque tamen miscuit, ut aiunt, utile dulci.

*Pyrrhonismus.*

Dicendum hic de Pyrrhonismo, seu Scepticismo bonae vocis malo usu, Secta, si quae tamen fuit, omnium quotquot referuntur infelicissima. Huius sectatores in tantum dicuntur fuisse rebelles lumini, ut scientiam omnem, qua nihil à Diis immortalibus uberius, nihil florentius, nihil praestabilius hominum vitae datum est, de medio tollerent. Malae causae pessimum egit protectorem Sextus Empiricus, (iocone, an serio, iudicet quisque) argumentis, scilicet, longitudine aeternis, ac nullius pretii: item Petrus Baelius acutissimis sophismatibus. Hii autem, vel aliam mentem nobis inferant, vel in alium orbem nos ducant; quamdiu enim in isto vivimus, tam saepe nobis veritatis fulgor affulget, ut vel inviti fateamur, ita certò quaedam sciri, ac clarè lux Solis apparet oculis, ni fuerint Noctuae, in illum intentis. Heinc contra Scepticorum gregem scientiarum existentiam demonstraturi, Philosophiam existere contendimus, mentemque nostram certam, constantem, evidentem cognitionem rerum per causas recta ratione derivatam habere.

*Dignitas  
utilitasque  
Philosoph.*

Quanta demum sit Philosophiae dignitas, quae necessitas, & quis aptis unquam poterit exprimere verbis? illa veritatis scientia, ars artium, disciplina disciplinarum, inuentrix legum, magistra morum, vitae dux, virtutis indagatrix, expultrixque vitiorum, ars vitae, cultura, & medicina animi passim appellatur; atque si laudes omnes, quibus iure, ac merito decoratur, in hunc locum referrem, integra ferè Ciceronis opera forent transcribenda. Id unum ejus nomine dicam: Philosophiae studium qui vituperat, haut sanè intelligo quidnam sit, quod laudandum putet. Ipsa quidem Homini, qua homo est, ad eius mentem perficiendam: qua Reipublicae membrum, illi sive inserviat, sive praesit: qua fidelis, ad ipsius fidei, & religionis praesidium, utilis nedum, sed & necessaria est.

*Finis, &  
partitio  
Philosoph.*

Conficitur inde, Hominem esse finem cui Philosophiae: veritatis cognitionem finem cuius gratia proximum: Beatitatem naturalem remotum finem: ultimum tandem Deum, ad quem omnis eius conatus ultimò terminatur. In quatuor partes, Lo-  
gi-

5  
gicam , nempe , Physicam , Metaphysicam , & Moralem distributa , utramque mentis facultatem , intellectum , & appetitum , instruit , perficit , illuminat Philosophia. Estò autem haec divisio omnium Scholarum plausu fuerit recepta , plena tamen Philosophia est , quae duabus constat , Physica , & Ethica. Haecenus de Philosophia in universum : per singulas nunc eius partes calamum excurrere sinamus.

## LOGICE.

**M**irum quantum in hac Philosophiae parte , ferè dixi praecipua , perpolienda insudarunt Recentes. A Zenone siquidem Eleateni instaurata , ab Stagirita non una in parte aucta , à Megaricis , Stoicis , Cyrenaicis , Academicis Socratis propaginibus avidè excolta , humi tamen iacebat fordibus , & squalore involuta. Illorum tamen ope à summa humilitate ad apicem illum , in quo eam regnare demiramur , pervenit , sperantes adhuc fore , ut in dies purior evadat , perfectiorque. Est illius nomen graecum , quod latinè sermonem refert ; ea enim in vero rectè cognoscendo , ordinatèque fermocinando , non ore quidem , sed mente , mens humana dirigitur. Hinc haec illius officia à Tullio accepimus : rem universam tribuere in partes , latentem explicare definiendo , obscuram explanare interpretando , ambigua primum videre , deinde distinguere ; postremò habere regulam , qua vera , & falsa iudicentur , & quae , quibus positis , sint , quaeque non sint , consequentia.

Logicam Veteres symbolicè exprimere cupientes , eam aptè fatis instar manus clavem tenentis designarunt ; quòd illa ad scientias quasque aditum adperiat. Nihil ergo ea praestantius , nihil utilius , nihil nobis magis necessarium : quod qui negaverit , nae fungum pro cerebro habet. Ejus dotes speculanti apparet scientiae dignitate ornata , ac mentalis virtutis. Est , & ipsa tota speculatrix , non operans ; quamquam modo à me explicando practicam dicere , haud gravabor. Cum autem de eius materia simus dicturi , pessimè audiisse apud Nominales suspicamur , qui facultatem vocibus unicè intentam dicebant. Apud Scholasticos , quibus haec cordi sunt , mirum quanta de his risu dignissima. Nos paucis rem absolvimus : res quaecumque eius sunt subiecta materia , seu quod aiunt obiectum materiale : ideae autem universales , Scholae verbis *ens rationis* , sunt

*Notio Logicae , & officia.*

*Dotes , & scopus Logicae.*

sunt eius forma, seu obiectum formale, quo tres mentis operationes ab ea diriguntur, perceptio nimirum, iudicium, & discursus, de queis, sicut & de methodo, ceu de scopo Logicae, sermonem instituiamus.

*Perceptio,  
& idea.*

Est ergo perceptio, ut ab illa exordiar, actus ille mentis, quo rem sibi praesentem facit, ac percipit, quin ad aliam referat: est & ipsa idearum efformatio, seu efformatarum contemplatio. Ideae nomen quid sibi velit, si Recentes consulas, vix reperies, dum alii pro mentis actione, alii pro obiectorum imagine, alii pro utroque sumunt: quin idem unus modò pro uno, modò pro alio accipit, vix ut intelligas. Hinc in diversas abire sententias, non Antiquos tantùm, verùm, & Noviores, dum de modo, quo mens acquirit ideas, pertractant; quas cum palam fecerim, quid ipse sentiam ponam ob oculos. Interim amandandus procul Malebranchius ideas mentis nostrae nihil aliud esse putans praeter Divinam essentiam, quae menti intimè affulgens, in sese ipsa, ceu in speculo, res omnes exhibeat, ac repraesentet. Facetè ad rem Harduinus: *Malebranchius omnia in Deo vidit, suam praeter stultitiam.*

*Idearum  
divisiones.*

Idearum aliae factitiae, aliae adventitiae sunt, duplici ex fonte, sensu, & meditatione profluentes. Innatas ergo ideas, si quaesieris, frustra fueris. Earum patronos inter se non constare, palam est, nec quid ipsi vocent innatum facilè intelligitur. Sitne hos inter numerandus Cartesius, apud alios esto iudicium. Sunt & ideae aliae simplices, aliae compositae; clarae aliae, aliae obscurae; aliae distinctae, confusae aliae; sunt & completae, & incompletae; adaequatae, & inadaequatae, quarum ego notiones tradam quantum poterò accuratius.

*Univer-  
salia.*

Ventum ad ideas universales, de quibus ad fastidium usque disputant in Scholis. Nos missis illorum nugis, nonnulla tantum appingemus. Igitur contra Stoicos, & Nominales stamus, non solas voces, & conceptus, verùm & res, & naturas esse universales. Ergo universale existit in rebus? Falleris: nec id, nervos etsi intendas omnes, unquam efficies: est tantum universale in intellectu mentis abstractione confectum. Quid verò dicendum de universalibus illis Platonis, ut dicitur, substantiis, intelligentibus, à Deo emanantibus, ab eo distinctis, à singularibus diversis, actibus, re- rum sensibilium exemplaribus, quarum participatione res sen-  
si-

*Platonis  
ideae.*



7  
files existerent? Eas cum Aristotele nugas canoras, & inanes  
cantiones appellamus.

Quam facile est efformare ideam universalem, tam diffi-  
cile est efformatam adhibere. Si igitur res, è quibus ideae uni-  
versales fiunt, inspicias, esto regula: *Idea rerum ad contem-  
plationem pertinentium sint maximè universales; earum verò, quae  
spectant ad mores, sint contractiores.* Si autem ad intellectum  
idearum artificem attendas, esto canon: *Ad idearum universa-  
lium efformationem adhibendi sunt cautè animi motus: prodesse enim  
possunt intellectui, & multum etiam obesse.* Demum, si ad scien-  
tias, pro quibus ideae universales fiunt, animum advertas,  
esto lex: *Dum scientia aliqua traditur, adhibendae parcè sunt  
ideae ad scientiam aliam spectantes.* Horum expositionem quisque  
exposcat.

Praedicabilia huc revocanda quinque sunt notiones maxime  
communes, per quas, sicut per notas quasdam, quaelibet res  
de alia enuntiatur. Sunt autem Genus, Species, Differentia,  
Proprium, & Accidens, de quibus plura fari non erit iniucun-  
tum. Hoc Porphyrii in gratiam Chrysoarii inventum accensere  
nonnulli rebus inutilibus, plerisque est in deliciis, de illoque  
ad nauseam: utrique in extrema.

*Praedica-  
bilia.*

Explicuit igitur Porphyrius modum, quo entia omnia de  
aliis praedicantur; redegerat quippe ante ipsum Aristoteles res  
omnes enuntiabiles ad decem clases, quas ideò *Categorias* ad-  
pellavit, alii *Praedicamenta*. Iis ut viam sterneret, praemissit  
quasdam protheorias, Scholastici vocant *antepraedicamenta*, se-  
cuturque illae in partes quatuor. Prima naturam explicat ho-  
nonymorum, synonymorum, & paronymorum. Pars altera  
duas continet divisiones. Tertia complectitur regulas. Haec  
omnia non modicam in arena garriendi materiem suppedita-  
bunt. Pars protheoriarum altera est divisio entis incomplexi in  
decem suprema capita, quae sunt, *Substantia, Quantitas, &*  
*cetera notiora quàm ut nobis nomenclatoribus indigeant.* Ho-  
rum divisionem tribuunt aliqui Archytae Tarentino. Nos verò,  
ut de inventore illorum esse volumus parum solliciti, sicut &  
de aequo categoriarum numero, ita singulas earum ideas per-  
gimus explanare.

*Categoriae*

Chorum ducit substantia, qua nihil perfectius, nihil supe-  
rius, nihil nobilius; verum nihil ignotius. Itaque idea ejus ob-  
curissima, quae in varias proinde sententias Philosophorum  
ani-

*Idea sub-  
stantiae.*

animos distraxit. Sunt qui eam dicant ens in alio non existens, non indigens re alia ad existendum, ens praeditum potentia agendi, complexum rerum cognitarum, fulcrum, ac basim accidentium; tamen parum adcuratè. Rectius ergo, quoad licet, eam dicimus ens, quod in rerum natura per se stat, est, existit: seu cui haec debentur.

*Adiuncta.*

Notior idea eius adiunctorum, quae vestitur, ornaturque. Horum primum quantitas, cuius idea, utpote composita, plura complectitur: extensionem substantiae, expansionem in locum, divisibilitatem, immunitatem à penetratione, demum mensurabilitatem. Primum naturam refert quantitatis: cetera eius sunt quasi attributa. Arbitramur, relationum tractationem in Scholis habitam de illorum esse numero, quae in extremas terras forent amandanda. Relatio ordo est, respectusque unius ad aliud. De eius partitione secundum Scholae morem non pauca garriemus. Quid qualitas? *Qua quales esse dicimur*, ait Aristoteles. Mirabitur quispiam quod definitio isthaec multorum stomachum moverit? Clarior istius ideae notio, quam suppeditavit Ang. Doctor. Quatuor veluti paria huius categoriae vulgò obtinent, habitus perfectus, & inchoatus; naturalis vis operandi, aut resistendi, & imbecillitas; affectio firmiter inhaerens, & citò transiens; forma, & figura. Horum notiones, ac vulgaria de trivio nomina, prodam. Reliqua praedicamenta ceteris ignobiliora sigillatim exponere, res foret hominis otio, & charta turpiter abutentis. De illis, de rerumque modis, in palaestra. Hypotheorias, seu *postpraedicamenta* item explanabimus, quae quinque ab Aristotele dicuntur, vocanturque *oppositio, prioritas, simultas, motus, & habendi modus.*

*Vocum significatio, & scriptura.*

Ab ideis ad earum signa transitum ipsa exigit praecedentium materies. Societas humana etenim vincitur communicatione cogitationum: hae cum intus lateant, re aliqua sensibili opus est, ut palam fiant. Inter plura autem ad id praestandum idonea, ambigit nemo, quin vox principem teneat locum. Illa siquidem nobis praestò est, facilè formatur, infinitis prope modis pro rerum idearumque varietate inflectitur, simulque à pluribus, etsi una sit, excipi potest. Eius autem formationem ex anatomiae latebris in lucem traham. Veteres de origine sermonis deliria multa cogitarunt à nobis publici iuris facienda, quibus firmiter persuasum est eas non naturae necessitate, non

cum

cum rebus affinitate, sed hominum arbitrato ideas exprimere, idque efficiemus omnino. Ad haec, cum homines non pecudum more praesentia tantum curent, sed, quod intelligentis proprium est, ad absentes cogitata sua quoque immittant, posterisque relinquunt: necessaria fuit scriptura, quae vox quaedam est fixa, & permanens. Igitur de varia apud gentes scribendi ratione, de multiplici quoque pronunciandi forma, dabimus plura perquam iucunda. Hic iam iusto plura Scholastici de divisionibus vocum, seu, ut aiunt, *terminorum*, de *suppositione*, cet. Si quae tamen Goudinus omnium comptissimus protulit, arrident, pendentur ultrò.

Quondoquidem Philosophus se talem, cum disputando, tum scribendo, debeat exhibere, sequentes pro recto verborum usu regulas exaramus in acroasi pro virili roborandas. I. *Iis tantum verbis uti debemus, quibus adfigatur significatio certae ideae.* II. *Cavere debemus, ne cogitationes nostras verbis obscuris exprimamus.* III. *Observare tenemur, ne uni vocabulo plures notiones adiungamus.* IV. *Praecavendum nobis est à vocabulis indeterminatis, aequivocis, translatis.* Fluit inde Philosophum vocabulis uti debere secundum communem usum loquendi. Erit id cuilibet supra vires, ni perfectam adquisierit terminorum perceptionem, quae talis ut sit, tres dotes habeat, necesse est: ut sit integra; ut sit clara; ut sit distincta: Hinc tres eius defectus: Diminutio, obscuritas, confusio. Haec qui contingant, non multis referam.

*Perceptionis dotes, & defectus*

Defectui diminutae perceptionis medetur attentio, cuius defectu maximi quique errores vulgo contingunt. Ad eam fovendam praecepta nonnulla, certè utilia, necessaria si mavis, praescribam. Obscuritati perceptionis consulit definitio, quae illius, de quo agitur, ostendit naturam: alia nominis, alia rei dicitur: haec alia rursus habet membra, item leges optimas. De omnibus abunde in agone. Perceptionis demum confusio opem fert divisio, claritatis parens, memoriae dux, scientiarum oeconomia, quae rem in partes fecat. Eius leges, & species audies in lucta; uti & Abstractionis naturam, quae illius est quaedam species. Haecenus de prima mentis operatione: reliquas ordine delibemus.

Posita itaque duarum idearum perceptione, earumque, ex facta comparatione, cognita habitudine, mens unam de aliis, agendo, vel negando, enunciat. En iudicium, actus mentis

*Natura iudicii.*

omninò simplex, posterior perceptione, ab eaque necessariò dependens. Illud, si verbis exprimatur, *propositio*, sive enuntiatio dicitur; cuius si materiae ratio habeatur, necnon formae, quantitatis, qualitatis, item adiuncti, multiplex ei soboles. Non praetereunda oppositio inter propositionis proprietates praecipui momenti, quae est duarum enuntiationum ad invicem comparatarum pugna. Est illa triplex: contradicens, contraria, & subcontraria. Enuntiationum oppositione affectarum eae sunt leges, ut contradicentes ambae verae, aut falsae numquam esse possint: contrariae nullo casu verae, falsae esse valent: subcontrariae, è converso, verae esse queunt, falsae non item.

*Rectitudo  
iudicii.*

Cogimur iam nunc, vel invitati, de recto efformando propositionum iudicio tractationem instituere, quò tota critica ars collimat; quandoquidem nihil hac tempestate celebrius, quàm aliorum censurae vacare, idque universim adeò invaluit, ut vel ipsis mulierculis hanc artem profiteri sit nihil antiquius. Duo itaque ad rectitudinem iudicii opus sunt: primum, exacta rei discussio: secundum, temperatio iudicii ad cognitionis mensuram. Horum quodvis desit, rectitudo iudicii corruat, necesse est. Hinc uberrimi fontes, è quibus miserandi defectus in nostra iudicia profluunt, sunt, vitiosa terminorum perceptio, de qua supra: praecipitatio iudicii, quae aliquando ex levitate ingenii oriri solet; interdum ex nimio eius impetu: praecipitatio, quae alia est intellectus, voluntatis alia: imaginatio demum, & sensus varie iudiciis nostris illudentes. Vitandis iudicii vitiis inde orituris funto regulae:

I. *Cum de propositione iudicandum est, ante omnia termini, quibus constat, attentè considerandi sunt; si obscuri, & ambigui, definiendi; si confusi, ac variis partibus compositi, distinguendi.*

II. *Perceptis terminis, si in idea subiecti praedicatum evidenter continetur, de illo constanter adfirmandum est; si verò ei manifestè repugnet, constanter negandum.*

III. *Si perceptis terminis, inter eos nexus, aut pugna evidenter non percipitur, cohibendus est assensus, donec ea connexio, aut repugnantia nobis aliunde innotescat.*

Porrò connexio haec, seu repugnantia tribus modis potest innotescere: ratione, experientia, & auctoritate; pro quibus funto canones:

I. *Omnis propositio ex terminis non corruat, si sequatur eiden-*

denter ex aliis evidenter notis , & ipsa quoque certa , & evidens iudicanda est : At si sequatur solum ex probabilibus , & ipsa solum probabilis censenda est.

II. Quae sensibus secundum naturam rectè dispositis clarè , uniformiter , ac distinctè percipiuntur , certa iudicari debent.

III. Quod nobis constat testimonio alicuius , qui nec falli potest , nec fallere , magis certum iudicari debet , quàm si nobis in se foret evidens ; etiamsi id nos omninò superet , immo iis , quae nobis nota sunt , videatur adversari : quod verò constat testimonio eorum , qui quidem falli possunt , & fallere , attamen quos in eo factò nec falli , nec fallere aliunde certum est ; id itidem certum iudicari debet ; sed iuxta mensuram huius prioris certitudinis.

Iudicii ex auctoritate humana ducti regula in factis ita se habet ; quomodò autem in dogmaticis , audies in palaestra , ubi praefatis novis doctrinarum accessionibus vires addere , erit perquam gratum , perque iucundum. Canones etiam de qualitate testium rem aliquam asserentium , leges de rebus , quae narrantur , deque modo narrandi , adferre , non pigebit. Atque haec quidem sunt , quae menti facem praebent , ne in ferendo de propositionibus iudicio in errorem ipsa labatur. Verum non abs re erit , eas censuras explanare , quibus illae affici à Criticis solent , atque notari. Dicuntur enim propositiones falsae , verae , necessariò verae , evidentes , per se notae , certae , probabiles , improbables , dubiae , temerariae , haereticæ , erroneae , haeresi , & errori proximae , sapientes haeresim , aut errorem , haeresi , vel errori faventes , schismaticæ , iniuriosae , scandalosae , piarum aurium offensivæ , simplicium seductivæ , & captiosae ; quarum notio non una , nullique non necessaria. Iudicio vale diximus.

Propositio-  
num censu-  
rae.

Uti experientia docemur , nos cognitionis omnes expertes in hoc mundi theatrum prodire , sensimque acquirere rerum variarum ideas : ita eadem convincimur , infantes , ubi paulatim adolefcunt , binas idearum inter se comparare , ac tandem eò pervenire , ut & inter tres ideas instituta comparatione , novas veritates reperiant. Haec trium idearum comparatio Ratiocinatio dicitur , eaque est mentis operationum ultima. Si verbis exprimatur , argumentatio dicitur , cuius referuntur species , Exemplum , Inductio , Enthymema , Sorites , &c. & Synogima. Quomodò , sed & necessarium saepe cum emunctae naris viris , & recentibus , & antiquis , pu-

Ratiocina-  
tio.

tamus. Illorum naturas nostri erit muneris explicare. Syllogismus verò, ad quem, ut ad perfectissimam argumentationis formam, ceterae revocantur, funditur in informem, & formatum, simplicem, & compositum,isque in membra alia, quae qui sibi explanari desideret, uti & figuras, & modos, illorumque regulas, à nobis requirat.

Oritur ex materia duplex alia syllogismi species, videlicet, apodicticus, & probabilis. Demonstrationis, quae varia est, effectus est scientia, nempe certa, stabilis, penitusque inconcussa conclusionis cognitio. Posse exactam demonstrationem elaborari, negavit Baylius, qui Pirrhonismi crambem recoxit, ac perversissimae doctrinae venenum in eloquentiae poculo incautis lectoribus propinare tentavit. Probabilis demonstrationis effectus, non scientia est, sed opinio, imbecilla, scilicet, assensio cum metu adversae partis coniuncta.

*Paralogismi.*

Perperam nos plerumque ratiocinari, ignorat nullus, cui nota sint falsa ea ratiocinia, quae vulgo sophismata, seu paralogismi dicuntur. Meum erit modos, quibus peccare argumentatio possit, indicare, communes fallaciarum fontes referendo. Prae ceteris sophismata propria habuere Megareses, & Stoici: Illis tribuuntur, *Mentiens*, *Fallens*, *Electra*, *Obvelatum*, *Acervale*, *Cornutum*, & *Calvum*. Stoicorum fuere *Crocodilus*, *Metens*, *Ignava ratio*, *Ratio dominans*, & *Conficiens*. Extat praeterea aliud, quod nuncupant *Achillem*. Singula erunt à nobis exponenda.

*Loci topici*

Syllogisticae arti adiumento est Topica, quae mirum quàm uberem dicendi segetem suppeditet Logicis. De illa ab Aristotele datae praeceptiones in octo topicorum libris utiliores extitissent, si minori obscuritate laborassent. Sunt autem loca Topica promptuaria quaedam, à quibus accipi solent ideae mediae ad rem aliquam demonstrandam. Haec assignantur, à causis, ab effectibus, à subiecto, ab adiunctis, à contrariis, à simili, à nomine, à definitione, à divisione, ab auctoritate. Singula expediemus.

*Methodus.*

Iam tandem de Methodo agendum est, quae idem valet, ac modus ordinatè procedendi in cognitione veritatis: In qua duplici incedendum est via: inventione, nimirum, & doctrina. Duplex itaque Methodus: Analytica, & Synthetica. Illarum, ne iusto simus morosior, & morosior, & morosior; quibus primae Philosophiae parti, eaeque iucundissima, nuntium

tium mittimus, atque ad reliquas calamo versandas accingimur.

## METAPHYSICA.

**M**etaphysicam in praesentiarum suo in loco, ac lumine ponimus: non illam quidem nugis prioris aevi, ac gerris plenam; sed brevem, perexpeditam, quaeque ad reliquas disciplinas percipiendas mentem acuat, viamque muniat. Hoc in loco illi quam maximè errarunt, ineptissimeque delirarunt, qui omnem ex Philosophia Metaphysicam eiciendam esse putarunt. De eius materia, & partibus perpetuas lites movent nonnulli, quibus valere iussis, eam in Ontologiam, Aetiologiam, & Pneumatologiam, sub qua Psychologia, Dæmonologia, & Theologia naturalis continentur, dispertimur.

## ONTOSOPHIA.

**O**ntologia, quae sermo est de ente, scientia est quaedam *Ontologia* universalis de cunctis rebus agens, prout in notionibus *natura.* communibus continentur, atque ob id *prima philosophia* adpellata. Innititur illa variis, solidisque principiis, inter quae praecipuum est illud complexum antiquitate consecratum: *Impossibile est, idem simul esse, & non esse*, quod contradictionis appellari consuevit. Huic adiungitur aliud, quod rationis sufficientis dicitur, nempe: *Nulla res est reapse sine ratione sufficienti cur potius sit, quam non sit.* De his inanes excitarunt traegedias Leibnitiani, & Wolfiani. Sunt praeterea veritates nonnullae, quae primae dicuntur, eo quod ex aliis non oriantur, sed ipsae propria perspicuitate mentem vivide percellant; quaeque proinde intimo sensu, & recta ratione cognoscuntur. Rimatur quoque ipsa principia entis latissimè sumpti, actum, scilicet, & potentiam, de quibus rogati, bene multa.

Ens, & res Philosophi, latinè loquentibus sunt vocabula synonyma. Ens dicitur vulgo, *id quod est, seu existit.* Quare dicatur transcendens, audies. Sitne univocum, an analogum, videant quos interest. Essentia diffinitur, *id per quod res est id quod est.* Dicitur etiam quidditas, item natura, quae alia physica, alia vocatur metaphysica. Alterutram probè noscere. Existentia indiget res, ut sit extra nihil, siue in rerum universitate posita; unde est existentia *id per quod*

*Enti-  
ones.*

quod res est actu. Inest praeterea substantiae modus alius, quo sui iuris fiat, atque in se ipsa constet, qui dicitur subsistentia, cuius accessu vocatur substantia *suppositum*: & si facultate intelligendi praedita sit, vocatur *persona*. Enti suis proprietatibus, ac modis ornato potentiam asserimus, quam dicunt obedientialem, ut à Deo intrinsecus roborato, insolitos, atque extra naturae vires edat effectus.

*Entis proprietates.*

Tres in vulgus recensentur entis proprietates, unitas, veritas, & bonitas. Dicitur quaelibet res una, quia cum ab essentia nihil demi possit, nihil addi: non potest in duas dividi, quarum quaelibet dimidiam partem proprietatum habeat. Triplex assignatur unitas, generica, specifica, & numerica. Unitati adversatur distinctio, cuius varia genera dabimus. De veritate, & bonitate, iisque oppositis falsitate, & malitia: de finito, & infinito: de possibili, & impossibili: necessario, & contingenti: simplici, & composito: toto, & parte: duratione, & eius partibus, cet. quae temperatum metaphysicum decent, dicemus, eorum morem aspernati, quae stiunculas suberis umbra leviores de his movent sine fine, dum maiora eos vocant.

## AETIOLOGIA.

*Notio causae, & species.*

Ontologiam sequitur eius pedisequa Aetiologia, hoc est tractatio de causis; in quarum cognitione sitam effectus huius vitae felicitatem ex Hesiodo cecinit Virgilius. Quod ergo rei alteri originem facit, id causa dicitur, etsi nonnumquam principium etiam, & elementum dicatur, quae tria non nihil differunt. Sequitur ad causam effectus, ut quid ab ea pendens. Causarum quatuor communiter distinguuntur species, materialis, formalis, efficiens, & finalis; exemplaris etenim ad praefatas reducitur. Quaelibet causa tempore seu natura effectus est prior. Effectrix causa suum effectum nobilitate, & perfectione antecellit, vel saltem aequat. Intrinseca ab effectus perfectione superatur. Finalis verò saepe effectui praestat, interdum ab eo vincitur: nempe dum agens inordinatè procedit. Causae ita invicem connectuntur, ut finalis in sua causalitate praecedat efficientem, haec materialem, ista formalem. *Causas esse invicem causas* *ma: equaliter verum sit, interroga.*



Ut de singulis quidquam dicamus, exploratum est, ma-  
 terialem causam eodem prorsus redire, ac materiam: est au-  
 tem ea id ex quo fit quidpiam. Res videlicet quaeque, ni-  
 si è materia eruatur, perstat in possibilitate sua. Formalis  
 causa praestantior quidem est materiali, sed latentior, &  
 incompertior. Ea res determinatur ad certum esse, ad quod  
 materia anceps erat. In idem redit, ac rerum forma. Vo-  
 catur etiam à veteribus species, actus, terminus, quibus vo-  
 cibus sua subiecta est potestas. Alia dicitur substantialis, alia  
 accidentalis; subsistens alia, alia informans; tandem dispe-  
 scitur in intrinsecam, & extrinsecam, quam res imitatur,  
 quaeque à Graecis nuncupatur idea. Huius existentiam illi in-  
 ficiantur, qui cuncta caeco casui fus deque omnia ferenti per-  
 mittunt. Causae materialis & formalis effectus dicitur compo-  
 situm, quod si consideretur ut primum ac essentiale princi-  
 pium motus, & quietis illius substantiae, quam constituit, vo-  
 catur quoque, & est natura; cuius etiam rationem habent eius  
 partes materia, & forma: item animus noster, dum formae  
 munere fungitur.

*Causa ma-  
terialis.**Causa for-  
malis.**Natura.*

Adversatur naturae violentia, quae definiri poterit: cu-  
 ius principium est extra, passo repugnante. Nihil in auribus no-  
 ris sonat absurdius, quàm Deum violentiam creaturis impri-  
 mere, nisi id expresse voluerit. Sat haud dixi. Nec motus il-  
 lum, quem superius agens imprimit nonnumquam naturae in-  
 teriori, quamvis insolitus, & diversus ab eo, in quem pro-  
 fertur, appellandus est violentus, sed naturalis potius.

*Violentia.*

Naturae copulamur eius simiam, atque imitatricem ar-  
 tem, quae dicitur *recta factibilium ratio*. Ab ea dictum ar-  
 tificiale enodari potest: *cuius principium est extra in ratione  
 operantis practica, externam materiam disponente*. Adiuvari ar-  
 tificio motum experimento didiscimus; ab eo autem primitus  
 qui deduceret, Danaidum urnas impleret. Dum igitur opera,  
 motusque naturales efficit ars, non id virtute patrat sua,  
 sed à natura mutuata; varia tantum applicatione ex propria  
 penu educta. Hoc pacto Chrysopeiam possibilem asserere,  
 non est cur renuam. Sunt qui asserant existentem. Quos ego  
 inde cachinnos! Adferunt eius patroni nugas mille, infom-  
 nia, historiolas Aesopum olentes: verbo, huc, illucque in  
 casum se versant, tamquam mus in matella.

*Ars.**Chrysope-  
ia.*

Accessenda est magia, quae ars est mira, & insueta sci-  
 entia.

*Magia.*

ciendi. Alia est naturalis, alia dicitur diabolica. Illa est, quae viribus naturae humana industria tractatis mirabilia, & insolita efficit, quorum ratio communem hominum captum superat. In divinatricem, & effectricem partitur. Ad illam, quae occulta detegit, & auguratur, spectant *Algebra* tum vulgaris, tum speciosa; *Astrologia*, non quae futura libera, sed quae necessaria vaticinatur; *Physiognomica*, ad quam revocatur *Chiromancia*, quae robustam, aut debilem corporis habitudinem; bonam, aut malam viscerum constitutionem referat, non quae mentiuntur Zingari. Ad effectricem pertinent *Cryptographia*, quae est ars occultè scribendi; *Pyrotechnica*, seu ars faciendi ignes artificiales in aqua, aëre, & terra, mirabiles; *Mechanica*, sive facultas machinas construendi ad movenda gravia, attollendaque. *Magia* diabolica est facultas, qua vi pacti cum doemonibus initi insolita pleraque efficiuntur. Eius sunt species, *Mantices*, *Mathesis*, *Praestigia*, *Sortilegium*, *Maleficia*, cet. quibus in conflictu sua lex adferretur. Sed eò remigremus, unde tantisper discessimus.

*Causa efficiens.*

Quantum rebus omnibus internae sunt materialis, & formalis causa, tantum necessaria est efficiens, quam illis perfectione praestare fatentur cuncti. Definitur, *principium extrinsecum, à quo profluit rei mutatio*. Sunt eius varii furculi. In hunc locum vocanda est gravis illa Metaphysicorum disputatio, tot annos, tot libris editis, tanta contentione animi disputata: nempe, habeantne causae secundae energiam suam vimque efficiendi. Qua in lucta eorum partem saniosem indicamus, qui virtutem illis producendi asserunt, nedum causas occasionales putant. Controversiam hanc dum de verbis tantum existimat Verneius, atque definitis verbis *agere*, & *efficere* se putat solvisse, proprium mihi visus est deposuisse acumen, & quaestionis naturam nullatenus habuisse perspectam. Verum; estne substantia immediatè operans? De eo Scholastici ea animi vi dimicarunt, ac si de capite ageretur, deque tota re familiari: nos nec iota unum. Utitur saepe una causa aliis, quae idcirco instrumentales causae vocitantur, quaeque non sibi, sed principi, eiusque virtute effecta operantur. Est de ratione instrumenti, ut à causa effectrice moveatur, eleventurque vires eius, quas nisi habuerit, nec instrumentum erit.

*Causa finalis.*

Finalis causa ceteras perfectione vincit, cedit nulli. Finis

nis dicitur, cuius gratia fit aliquid. Tam vera est, realisque causa, ac cacterae aliae. Allicitur voluntas à fine, cuius rationem induit bonum, seu verum, seu visum tale. An quoque malum? Nimirum cum ab occasu nascetur Fitant. Ut finis vires exerat suas, necessum est, ut mente apprehendatur; non tamen in ea apprehensione sita est eius causalitas, sed in sola bonitate. Heic iam contra perditissimas gentes arma movemus, quarum ductores Democritus, & Leucippus extiterunt, deinde Epicurus ovo prognatus eodem. Scilicet velis equisque hi contendebant cuncta naturae opera atomorum ludo fuisse permissa, nihil à gubernante providentia in certos fines destinari. Cui autem bono? Ut mortis tolleretur, & religionis metus. Stipites, non homines! Horum deliria, ac insaniam ea verborum concinnitate, ea doctrinarum segete, eo mentis vigore, eo tandem veritatis, Religionisque ardore detexit, insequutusque est Goudinus, ut diceres hac in causa anteferri ei Philosophorum neminem, paucos pares putari. Monstra stant pro nobis, tantum abest, ut contra nos pugnent. Quid sit Monstruum, quae eius causae, audies.

*Contra providentiae hostes.*

Felices illi populi, quibus vel in hortis Numina nascebantur, haec inter numerabant fortunam, quam ab effectu fingebant caecam, furenti similem, instabilem, atque adversa & prospera omnia indiscriminatim spargentem. Ab iis insomniis longè disita Philosophia, Fortunam & casum accipit pro causis fortuito concurrentibus, ex quibus inopinati sequuntur effectus. Id si contingat in naturalibus, casui tribuitur: si in causis liberis, Fortunae. Habent haec quoque locum respectu Angelorum, corporumque coelestium; minimè verò respectu Dei. Nec minorem insanierunt insaniam de facto loquentes: Inter illos quidam fatum reponebant in necessitate quadam, cuius leges tabulis aeneis descriptas Dii nosse poterant, sed emendare nequibant. Veri Numinis adoratores fatum quidem admittimus, legitimo tamen sensu explicatum: est nempe Divina ipsa praeordinatio de rebus contingentibus, per quam exequitur Deus suae providentiae decreta.

*Fortuna, & fatum.*

## PSYCHOLOGIA.

*Natura  
Psychologiae.*

*Materia-  
lismus.*

*Animi ori-  
go.*

**P**SYCHOLOGIA ea est Maphysicae pars, in qua prope divina illius substantiae natura, per quam homines sumus, inquiritur. Est verò Mens humana principium illud, quo homo cogitat, bonum vult, suarumque insuper perceptionum ac volitionum conscius existit. Eius igitur existentia nihil certius, quemadmodum eius natura nihil obscurius: ut non immeritò Heraclitus dixerit, numquam illam reperire posse, quantalibet quis vitae spatia conficiat. Profectò si veteres consulantur Philosophi, tam confusa est, tamque discors eorum de natura humanae mentis opinio, ut hoc solum nomine laudandi videantur, quod eis illud propositum sit studium, ut se invicem allucinari, minimèque vera afferre, arguant, & convincant. Illorum nonnulli animum nostrum corporeae putarunt naturae, quorum recoxerunt crambem, nostri aevi lues, Materialistae; praecipuè eorum symmistes Voltaerus, Galliae monstrosus, ac horribilis formae foetus. Sed in extrema hi venerunt erroris; est enim animus noster incorporeae, & spiritualis naturae, substantia simplex, nullius figurae, partium expers, atque ab omni corpore vel minimo distincta. Simul cum corpore suo, quo non indiget ad existendum, non moritur, sed perpeti vita fruitur; est quippe ex intrinsecis incorruptibilis, ac natura sua immortalis: qua in re erratum fuit etiam quàm maximè à Philosophis; sed illud summopere dolendum, quod viris doctrinae spectabilis praefixerint quidam nigrum theta.

Difficilior sane fuit de illius origine disputatio, quae vel ipsam ingeniorum Aquilam Augustinum tenuit in bivio. Cum ipso tamen constanter tenemus, non è materia animum fieri, aut traduce corporali. Verùm ultra pergimus affirmando, creari illum à Deo ex nihilo tunc temporis, cùm corpus, cui destinatur, primò aptum est, ut illi iungatur. Abeant ergo Pythagoras, Plato, haeresum omnium hydra Origenes, Tertulianus, Wolfius, ac Leibnitius contrarium benditantes. Imparis perfectionis animas statuit noster, quo praeceptore gloriamur, Aquinas: Quidni & nos? Corporibus copulantur, ut quaevis substantiales formae, quarum obeunt munera. Itaque anima obtenta, quaelibet alia substantialis forma corpori superfluit. Ab ea, in animati corporis partes fluit

vis

vis sentiens , vis vegetans , vis movens , proportione tamen quadam.

Cum recentiorum aliquibus cogimur etiamnum manus conferre , mutuam corpus inter , & animum *commercium* , ut aiunt, *corporis-explicaturi*. Quam Cartesiani adferunt *hypotesim causarum que com-occasionalium* , est intimo cuiusque sensui planè repugnans , libertatis averfiva , ac nullo fundamento fulta. Eiusdem subiicitur incommodis Leibnitianum *fyfthema armoniae praestabilitae* , lubrica ad *Idealifmum* , & *Egoifmum* via , quodque praeterea virtutum omnium moralium fundamenta quatit. Restat ut dogma influxus physici amplectamur , in quo anima dicitur in corpus agere , viciffimque istud in illam , quamvis id quo pacto fiat , nobis fateamur incompertum.

Inter mentis potentias primatum tenet intellectus , nempe facultas ea , qua res percipimus , de illis iudicamus , ac unum ex alio ducimus : verbo , qua verum attingimus ; unde obiectum eius tam late patet , quam ratio veri. Tamen dum est corpori alligatus animus , ea tantum capit , quae materiae sunt immerfa , aut ex sensibilibus deducta. Est ipse propria sedes virtutum intellectualium , eorum nempe habituum , quibus ad verum attingendum determinatur. Illarum quinque numerantur species , intelligentia , sapientia , scientia , prudentia , & ars , quae alia Liberalis dicitur , alia Mechanica , utraque verò in plures adhuc tribuitur. Una scientia , plura etsi sub ratione sua formali discutiat , unus tamen , simplexque est habitus.

Ductorem intellectum sequitur voluntas , illo quidem ignobilior , aliarum verò animae facultatum proculdubio domina , atque regina. Definitur voluntas , *appetitus rationalis* , seu facultas , *qua aliquid appetimus , seu averfamur*. Deo sunt ei actus , velle , & nolle , in quibus necessariò pendet ab intellectu : illius obiectum tantum est bonum , huius solum malum. Eius libertatem Morali relinquimus discutiendam. Insunt quoque animae facultates quaedam sensitivae , idcirco *sensus interni* appellatae : haec sunt , sensus communis , Imaginatio , seu Fantasia , Aestimativa , & Memoria , quarum dabo officia , cum sequentium Memoriae phenomenon causis:

Cur exercitio illa augetur , plurimumque perficitur ?

Cur *aliquid* revocentur in memoriam , quae actione externorum sensuum , quam quae solius imaginationis ope attinguntur ?

Animi

corporis-

causarum que com-

mercium.

mercium.

armoniae praestabilitae,

Idealifmum , &amp; Egoifmum

via , quodque praeterea

virtutum omnium moralium

fundamenta quatit. Restat ut

dogma influxus physici amplectamur ,

in quo anima dicitur in

corpus agere , viciffimque istud

in illam , quamvis id quo

pacto fiat , nobis fateamur

incompertum.

Intellectus.

nempe facultas ea , qua res

percipimus , de illis iudicamus ,

ac unum ex alio ducimus : verbo ,

qua verum attingimus ; unde

obiectum eius tam late patet ,

quam ratio veri. Tamen dum

est corpori alligatus animus ,

ea tantum capit , quae materiae

sunt immerfa , aut ex sensibilibus

deducta. Est ipse propria

sedes virtutum intellectualium ,

eorum nempe habituum , quibus

ad verum attingendum determinatur.

Illarum quinque numerantur

species , intelligentia , sapientia ,

scientia , prudentia , &amp; ars ,

quae alia Liberalis dicitur , alia

Mechanica , utraque verò in

plures adhuc tribuitur. Una

scientia , plura etsi sub ratione

sua formali discutiat , unus

tamen , simplexque est habitus.

Voluntas.

illico quidem ignobilior ,

aliarum verò animae facultatum

proculdubio domina , atque regina.

Definitur voluntas , appetitus

rationalis , seu facultas , qua

aliquid appetimus , seu averfamur.

Deo sunt ei actus , velle , &amp; nolle ,

in quibus necessariò pendet ab intellectu :

illius obiectum tantum est bonum ,

huius solum malum. Eius libertatem

Moralis relinquimus discutiendam.

Insunt quoque animae facultates

quaedam sensitivae , idcirco sensus

interni appellatae : haec sunt ,

sensus communis , Imaginatio , seu

Fantasia , Aestimativa , &amp; Memoria ,

quarum dabo officia , cum sequentium

Memoriae phenomenon causis:

Cur exercitio illa augetur , plurimumque

perficitur ?

Cur aliquid revocentur in memoriam ,

quae actione externorum sensuum ,

quam quae solius imaginationis ope

attinguntur ?

Memoriae

phenomena.

Cur Juvenes melioris sint memoriae, quàm aut pueri, aut senes?

Cur qui memori animo facilè res mandare solent, earumdem facilè obliviscantur. Contra verò diuturnae memoriae sint, qui aegrè, quod discunt, illi committunt?

Cur nimia cerebri siccitas, & humiditas plurimum memoriae officiant.

Quomodo tandem laedi illa possit à causis materialibus, quemadmodum & ab eisdem perfici?

## DAEMONOLOGIA.

*Angelo-  
rum natu-  
ra.* **I**am nunc Daemonologia occurrit, quae spirituum illorum, quos Dionysius *Mundissima Divinitatis specula* rectissimè vocat, naturam scrutatur. Dicuntur Angeli, Genii, item Daemones, quae appellatio in pretio, & honore posset haberi, nisi sermonis usus vetaret. Illorum turba in duas dividi solet. Altera spiritus bonos, seu *Eudaemones* complectitur. altera malos, seu *Cacodaemones*. Angeli nomen officii est, quo pronuntiato occurrit menti nostrae spiritualis quaedam substantia, per se subsistens, vi intelligendi, ac volendi praedita, praestantior homine, at summo Numine inferior. Horum existentiam contra homines de grege Epicuri, & antiquos, & recentes, qui nihil praeter corpora carnalibus oculis obvia dari putant, asserimus. Intellectiones suas perficiunt speciebus à Deo inditis, quibus naturalia clarissimè cognoscunt. Praesunt corporibus cunctis, quibus nonnumquam ex aëre mirè efformatis mortalibus se praebent conspiciendos. In illis opera vitae non exercent, licet omnia, quae rebus vitalibus competant, videantur peragere.

## THEOLOGIA NATURALIS.

*Dei exi-  
stentia, &  
attributa.* **M**etaphysicae pars ultima ceteris carior dicitur Theologia naturalis, quod Deum pro scopo habeat. Huius existentiam per summum nefas immanissimae belluae Epicuristae sunt inficiati, quo securius pecudum vitam agerent. Illorum impietatem iis rationibus exterminavit Aquinas, adeoque in aperto posuit, ut noctuis tantum in medio caecis cutientibus dubitare iam nunc detur. In medium adducam eas per-

perlibenter, alias item, quibus nisi movearis, nae plumbeus, bardusque es. Est autem Deus spiritus ille purissimus, unicus, & infinitus, immutabilis, aeternus, intellectu, & voluntate praeditus, & summè liber, aequè ac bonus, omnipotens, cet. qui cuncta, è nihilo creavit, etiam materiam primam. Quae creandi virtus adeò ei est propria, ut creaturae nulli competere queat. Ceterum de Dei natura, & attributis uberiora Theologi. Nos Physicam aggrediamur.

## PHYSICA.

**P**Ulcherrima, iucundissima, ceterisque omnibus antiquior Philosophiae pars cum totam naturae speculationem contineat, Physice nomen obtinuit: cuius facultatis dignitas, & amplitudo non alia ratione intelligi, deprehendique potest, quam si rerum natura, maiestas, & infinita propemodum varietas animo nobis, & oculis obversetur, cum eisdem prope finibus utraque circumscribatur. Eius tractatione mira voluptate animus perfunditur; nullaque magis sapientiae pars apud veteres, recentisque Philosophos in pretio fuit, maioribusque studiis illustrata: cui egregium adeò lumen novis inventis, observationibusque accessit, ut alium ac veteres orbem incolere videamur. Est verè, & propriè scientia omni ex parte theoretica, cuius obiectum corpus naturale, aut mobile dicatur, seu sensus, per nos licet; utiliora enim nos monent, ne levioribus immoremur.

*Physicae  
dotes, &  
obiectum.*

Corpora quaelibet intrinsicè quibusdam constare principiis, omnium Philosophorum calculo, magistra natura, comprobatum est. Principia autem prima dicuntur, quae nec ex se invicem, nec ex aliis, sed ex quibus omnia fiunt. In illis assignandis dispersa est Philosophorum cohors, quorum proinde difficilius est sententias, quam arborum folia numerare. Nobis sequentia sunt in comperto: rerum naturalium ea est conditio, ut aliquando incipiant, sensim intereant, sicque intrinsicè mutantur. Quae mutantur simplicia esse nequeunt, sed necessariò ex potentia, & essendi actu sunt composita. Actus hic substantialis alius, alius accidentalis debet adstrui. Hinc omnium voce duplex mutatio admittatur oportet, alteratio, scilicet, & substantialis generatio, quam in hac rerum natura dari, tam clarum est, ac Soli iste, qui lucet. Mutatio isthaec unico explicari

*Principia  
naturalis  
entis.*

cari principio nequit : itaque tria statui debent, Materia, Forma, & Privatio, quorum inventionem sibi confidenter blanditur Stagirita; quamquam ea antiquiores novisse Philosophos, non levis sit coniectura, id etsi minus expresserint verbis. Ergo primi principii rationem non obtinent ignis, aer, aqua, terra; non Anaxagorae *panspermia*, non Leucippi, & Epicuri atomi, non Cartesiana materia in vortices ad libidinem acta, non denique Chymicorum mercurius, sulphur, & sal. Remanent in composito genito materia solum, & forma, tanquam illius naturae constitutiva, atque ad essentiae eius rationem pertinentia.

Rectè ab Aristotele dicitur materia, quae non est quid, nec quale, nec quantum, nec aliquid eorum, per quae ens determinatur. Est ingenerabilis, est incorruptibilis, atque à forma re diversa. De eius appetitu quae adferunt Scholastici, ponam in aperto. Forma substantialis, optimè dicta actus primus materiae, necessariò est admittenda, ut ex utraque corporea substantia coalescat. Non nisi unica cuivis composito est tribuenda, omnibus aliis, etiam quas partiales vocant, seclusis. Quae compositi geniti est, (excipe animum nostrum) non per creationem fit, sed per educationem, ut dicunt, de potentia materiae. Quae quidem educitio si, ut par est, intelligatur, non est cur noviorum animadversiones reformidem. Terminat itaque forma generationem, terminant compositum & suppositum, item proprietates; sed non pari modo.

*Alteratio.*

Ad maiorem hanc, substantialemque mutationem viam sibi minoribus quaerit natura, inter quas elucet alteratio, quae multifariam licet usurpari soleat, pro mutatione tamen ad qualitates naturae rei contrarias, & ad corruptionem disponentes, accepta, huius est loci. Num haec propriè dicta alteratio intra solas qualitates sensiles contineatur, audies in arena. Alterationis tres dici solent species, quas successivè fieri, constanter adfirmo; licet minus propriè dictas in instanti accidere, non inficiar. Alterationem autem successivam motu discreto, non continuo fieri, gratis asseritur. Sequitur ad alterationem mixtio, quae ab Aristotele diffinitur, *unio miscibilium alteratorum, & contemperantium*. Sed opus urgeamus.

*Motus.*

Corporum proprietates investiganti adest in limine motus omnium facilè princeps, rerumque omnium ~~inter~~ & ~~caus.~~ Definitur ab Aristotele, *actus entis in potentia, sicut in potentia.*



*tia.* Cymmeriae tenebrae. Agam ut ei sua lux afferatur. Localis motus, ceteris & notior, & nobilior, dicitur *migratio de loco in locum*, quem qui negaverit, Diogenem adeat Cenonis sophismata solventem. Perficitur motus impetu in corpora affluente, cuius primaria causa, & fons est substantia spiritualis; ut proinde optimum habeatur à Thomasianis nostris dictum de corporibus, *omne quod movetur, ab alio movetur*. Oritur ab impetu motus determinatio, quae non omnis est ad lineam rectam, id etsi impensè cupiat Cartesius, sed ad circularem etiam aliqua deflectit. Gravia corpora deorsum rectà feruntur, non à terrae corpusculis rapta praeda ad eam revertentibus, ut existimavit Gassendus recentiorum alioquin nulli impar: non à subtili materia in giros mota, ut placuit Cartesio, non aetheris pressione, cet. Sed intraneo illo, & à naturae Auctore insito Peripateticorum impulsu. In arena resolvam quae circa gravia agitari solent dubiola:::

*Motus  
gravium.*

Primum: *Cur in statera, Hispanis Romana, minus pondus, si à centro, seu fulcro staterae longius abducatur, maius pondus attollit?*

Secundum: *Cur metallum, licet aqua gravius, si ducatur in tenuissimas lamellas, non mergatur?*

Tertium: *Cur lignum, licet aqua levius, ei tamen aliqua sui parte immergatur?*

Elaterium, vulgò *Resorte*, voco corpus, quod à suo statu dimotum, in eum se restituit: Impetus, quod id fit, dicitur *vis elastica*; motus verò ille, *motus elasticus*. Id tribus maximè modis contingit: primò, cum corpus vi compressum, ea amota, se extendit. Secundò, cum vi tensum se reducit. Tertio, cum violentè flexum se erigit. Hic motus, eaque vis in pluribus corporibus conspicua sunt: at unde oriuntur? Accurrit, ut assolet, Cartesius cum sua subtili materia poros corporis subintrante; verùm surdis canit. Aequius iudicamus vim elasticam ipsis corporibus intrinsecam adscribere, quamquam plurimorum corporum elasticitatem ab elasticitate aeris in eorum poris inclusi posse provenire, existimemus. Corpora elastica quaedam proprias leges habent, quae omnes ex duabus his fere pendent: Prima: Elaterium, qua vi pressum fuerit, pari se restituet. Secunda: Vis elastica agit in eam partem, quae ei minus resistit.

*Motus ela-  
sticus.*

Corpus cum impetu vibratum, dum alteri duro allidit,  
re-

resilire docet experientia ; qua in resilitone non idem perseverat motus , & impetus , determinatione tantum variata , sed novus producitur ab elaterio corporis , aut reflexi , aut reflectentis , aut utriusque. Motus reflexi has novimus leges : Prima : Corpora elastica aequalis massae , & ponderis , aequali impetu collisa , aequali motu resiliunt. Secunda : Si sint inaequalis ponderis , aut impetus , ita resiliunt , ut debilius maiori impetu repellatur. Tertia : Si corpus elasticum in aliud quietum aequale impingat , illud consistet immobile , istud verò solùm movebitur. Hinc , si corpus motum in duo , aut tria , aut quatuor quiescentia seriatim iuxta se posita , incurrat , solùm ultimum movebitur : at si duo mota in plura quiescentia seriatim contigua incurrant , duo quoque ultima sola movebuntur.

*Motus projectileorum.*

*Motus pendulorum.*

Motum plerumque in rebus videmus , quo aliis accedere , ab aliis fugere affectant : hunc Sympathiae , vel Antipathiae vocant in Scholis , atque in eius explicatione ad sacram ancoram , vim nempe occultam , confugiunt : hesterni Philosophi haec rident , meliora non dant. Proiecta corpora moventur impetu illis à proiciente impacto , non ab aere antè pulsò , retroque recurrente. In iis autem servantur hae leges : Impetus ab extrinseco impressus non stabilis in mobili , sed destruitur citius , aut tardius , secundum resistantiam medii , mobilis , aut corporis occurrentis. Omnis impetus est sui ipsius propagativus. Impetus impressus , dum communicatur aliis , minuitur in se ipso. Impetus impressi contrarii sese destruunt. Ceterùm impetus vis ex duobus censenda est , velocitate , scilicet , & pondere. Corpus grave , è fune pendulum altius abductum à perpendicularo obliqua circuitione deorsum praecipitatur ; at ubi attingit perpendicularum non quiescit , sed sursum iterum emergit , idque repetitis vicibus , donec tandem quiescat. Huius duae videntur causae , quarum vel altera , vel ut verosimilius reor utraque hanc emersionem efficit ; nempe impetus in descensu acquisitus , atque aer retro urgens. Iam verò haec data occasione resolvam :

*Cur quò pendulum , è longiori filo pendet , eò plures edat vibrationes ?*

*Cur in machina pneumatica exhausto crassiori aere pendula diutius suas continent vibrationes ?*

*Cur eiusdem penduli vibrationes omnes , licet aliis minores , aequali ferè tempore fiant ? At longioris penduli omnes tardius quàm brevioris ?*

Cur

*Cur pleraque alia, ita ut pendula, ut vibrationes quoque edant?*

Corporis dos alia est, ut sit in loco, in quo motus item  
omnis exercetur. Est itaque locus, qui excipit corpora: per-  
missis interim Cartesianos inter, & Gassendistas simultatibus.  
Triplex rei in loco praesentia assignari solet, sacramentalis,  
definitiva, & circumscriptiva. Dum hac donatur corpus, aliud  
in eodem loco non compatitur, nisi naturae Dominus superna  
sua potestate id effecerit. Verum nec ipse omnipotens Deus cor-  
pus unum in duobus constituet locis, ita ut praesentia suae  
quantitatis ambo repleat. Nequit corpus in aliud agere loco  
dissitum, quin virtute saltem ei coniungatur. Brevius: nulla  
datur actio in distans.

*Locus.*

Inter corporum sensiles qualitates, calor, & frigus duae  
sunt manus, quibus praecipue natura operatur. Calorem non  
in motu ipso celeri, perturbato, & expansivo corporis inca-  
lescentis, eum licet saepe comitetur, reponimus; non in luce,  
non in ignis substantia, sed in accidente alio, cuius essentia  
obscurissima. Eius effectus varii, imò quidam inter se contra-  
rii, quos enumerabimus. Frigus calori contrariatur, in eius  
tamen privatione haud quaquam consistit; imò nec in quiete  
partium, ut opinatur Cartesius, sed in positiva nostratum  
qualitate. In effectibus eius exponendis: item humiditate, &  
siccitate; raritate, & densitate; duritie, & mollitie; visco-  
sitate, & ariditate; tenuitate, & crassitie; asperitate, &  
levitate; non nihil operae impendemus.

*Calor.*

## COSMOGRAPHIA.

Communis, & universalibus corporum dotibus iustratis;  
supereft ut singula naturae corpora, quantum fas est,  
oculis emissitiis introspeciamus; atque primitiùs Compagen ex  
coelo, elementis, & iis naturis, quae iis continentur, con-  
stantem, quae Mundus Latinè, Cosmon Graece adpellatur.  
Illum Veteres plerique magnum animal putavere, quod nisi  
metaphoricè intelligatur, fidei parum congrueret. Epicurei,  
sibi ubique similes, ut fortuitum atomorum acervum habuere:  
quae impietas omnium in eos odium merito concitavit. Compa-  
ges illa sitne una, vel multiplex, inter antiquos acriter agita-  
tum fuit, & quae insaniam venerunt quidam, ut infinitos nume-  
ro Mundos ponere, non erubuerint: Nos verò fidei lumine

*Mundi  
dotes.*

instructi unius existentiam tantum excipimus, plures etsi possibiles sciamus. Perfectus usque adeò est, ut nihil ei desit, ut sit numeris omnibus absolutus. Dimicatum quoque à Veteribus de Mundi origine, vapulatque ab omnibus Aristoteles, quòd ipsum aeternum censuerit. Factum fuisse in tempore, & Scriptura tradit, & aperta ratio confirmat.

Ventum ad annos Mundi, quibus liquidò decernendis impares nostras vires agnoscimus, quid tamen certum sit, prodeamus rogati: interim Chaldeorum, Aegyptiorum, ac Sinesium chronotaxim fabulis accensemus. Qua anni tempestate conditus sit Orbis, planè etiam incertum: Si tamen res coniecturis agenda est, ineunte vere suspicamur, è Dei manu pulcherrimum prodiisse. Sex dierum spatio, quemadmodum candidè, & perspicuè docet Moyfes, non unico temporis momento, rerum omnium formationem complexus est Deus. Dierum ordinem cum corporum genesi enarrabimus. Ergo Augustini sententia aliqua animadversione erit digna? Absit. Tantùm primam, utpote communioem, & Angelico nostro Thomae, quo nihil nobis carius, iucundiusque, acceptam, praelegimus.

## ASTROLOGIA.

**M**undanae molis natura, origineque inspecta, splendidiora nunc eius corpora, perfectissimaeque, coelestia nimirum invisere iuvat. Coelum vocamus quidquid corporeum est supra regionem Lunarem. Corporum coelestium natura tam incomperta nobis est, tamque sensibus nostris inexplorata, ut vix quidquam de ea certò coniectari valeamus. Id unicè toto conatu sustinemus, corpora illa esse mortua, sensuque & vita destituta, cuius contrarium siderum adoratores quidam tenere. Sidera sunt corpora opaca, densiora, ceterisque coeli partibus nobiliora. Alia sunt sublimiora, fixa, perennem in suo situ, ac cursu aequabilitatem inter se tenentia. Alia dicuntur errantia, seu Planetae, quae nullam constantem dispositionem, tum inter se, tum cum fixis observant; sed propriis cursibus vagantia, nunc illi, nunc isti se adiungunt. Discernuntur verò Planetae à fixis tribus praecipuè characteribus, de quibus una cum earum numero, magnitudine, & motu, quàm volueris.

*Sol.*

Solis tanta vis, praestantia, ac divina fere pulchritudo est,

est, ut Veteres omnes in maximam sui admirationem rapuerit, verèque ipse per Antonomafiam sit *opus excelsi*. De eius substantia certi quidquam vix definiri potest; ut quemadmodum ille oculos vehementi, & uberrima luce perstringit, ita ferè animorum aciem, & humanae ingenium eludere conetur. Ego verò Solem iudico corpus inanimatum, solidum, opacum, igneum, Planetarum medium, temporum dispensatorem, lucis parentem, diem accessu, noctemque causantem recessu. Contingit splendidissimum hoc sidus aliquando maculis infusari. Evenit etiam stans temporibus ut Luna nobis illum contegat, sicque Eclipsim patiat, cuius causam, leges, tempus dabimus ex Astronomis. Si verò Eclipsim, quae accidit abeunte ad meliores Iesu, naturalem dixeris, naturae legibus, nedum Religioni contrarius proderis. Cachinnis excipiendus gelidus ille torpor, quem legimus Nationes plerasque invasisse ob Solis, Lunaeque Eclipses, quique etiamnum puerulos, stolidasque gentes territat.

Planetis omnibus superior est ille, quem *Nemesis sidus* *Saturnus.* Aegyptii, nos Saturnum dicimus. Id prae ceteris habet speciale, ut quasi annulo ambiatur ad modum alae pilei, refecto prominenti fastigio, cui caput inferitur. Apparet hic annulus modò tantisper explicatus, modò explicatior, quandoquidem cum magna explicatione. Subsidet post Saturnum Iupiter, illustre sidus, atque longè amplioris, clariorisque formae, quam sit fixarum etiam primae classis; praecipue verò, cum in oppositione Solis existens praeclarissimè splendet inter omnia sidera. Exquisitoribus Telescopiis inspectus insigniter grandescens, non uniformem exhibet faciem, sed quibusdam, quasi nigricantibus fasciis, seu umbrosis lineis, intersectam. Sociatur praeterea satellitibus aliquot, stellulis nempe ob id dictis *Iovis Affectis*, de quarum motu nonnulla appingam. *Iupiter.*

De Marte, & Mercurio cum nihil insignius occurrat dicendum, Venerem adimus Solis individuum comitem, illius, ac Lunae aemulam. Haec insigni, puriorique luce adeò splendet, ut aliquando interdiu conspici dicatur. Telescopio deprehensum fuit, stellam hanc eandem ac Lunam pati faciei mutationem, conspicique nunc corniculatam, nunc falcata, nunc bisectam, nunc extuberantem, nunc pene orbicularem, nunc penam: nempe prout variè ad Solem sita, variè quoque ab eo collustratur. *Venus.*

*Luna.*

Nihil praeclariùs, curiosiusvè, quàm quod de Luna tenebrarum expultrice nobis Telescopium detexit. Hinc eò impudentiae ventum est, ut iam sylvae, montes, rupes, campi, lacus, flumina, maria, urbes, animalia, arbores in Luna conspici dicantur; iacteturque ideò mundus ille Lunaris similis prorsus nostro. Apage fabulas, absurdasque ariolationes. Duo macularum genera in ea cernuntur; grandiores aliae, eaeque perennes, ac iugiter observabiles; aliae minutiores, & extemporaneae, in Luna crescente, decrescenve conspicuae. Maculae istae fugaces ad varium aspectum Solis variantes, sunt umbrae à prominentioribus partibus proiectae in depressiores. Illae verò grandiores, & perennes haberi possunt, ut partes rariores minus valentes lucem reflectere, atque ob id nigricantiores, aut etiam, ut partes ex natura sua talis quasi coloris. Hinc Lunare corpus, etsi globosae figurae sit, non est tamen superficiei prorsus levigatae, sed exasperatae, ac montibus acuminatae. Si Lunae in oppositione existenti Terra media inter illam, & Solem accurrat, orbatur luce, fitque Eclipsis. Non id tamen singulis pleniluniis evenit, uti nec Solis deliquium omnibus noviluniis. Causam verò in pugna, cum incremento, & decremento lunari, adducemus.

*Stellarum  
lux.*

Stellae fixae sunt totidem veluti Soles, non fecus ac ille propria luce fulgentes, non illam ab eo mutuantes. Planetae verò omnes lucem illam, qua oculos nostros percellunt, accipiunt à Sole. Nec enim lucem illam secundariam, quae adparet in Luna crescente ante priorem quadraturam, item decrescenve post alteram quadraturam, & demum in ea eclipsim patiente, ei propriam iudicamus.

*Siderum  
influxus.*

Circa siderum in haec inferiora influxum duae sunt advertentes sententiae. Altera sidera non magis in haec sublunaria agere tenet, quam gestata manu facula per noctem in campos vicinos. Altera verò usque ad ineptiam exagerat corporum coelestium vim. Ita Astrologi, quos *Iudiciarios* vocant; misericorditer homunciones, iique per saepe minus sani capitis, futurorum divinationem adeò audacter adfectant, ut cuiuslibet hominis fata singulatim, quasi rem praeteritam, memoria referunt, & confidentissimè praedicant. Res planè certa, comprobataque est, corpora coelestia validissimè agere in haec inferiora; imò istorum plerumque activitatem ab illorum influxu pendere: voluntatem autem hominum ab illis directè immutari,

ri, constanter nego, tametsi in illas aliquid posse indirectè, habeam perspectum. Unde nihil certi ex inspectione siderum haberi potest circa eventus liberos. Quantum ad pluvias, grandines, aliasque insigniores sublunarium mutationes, ea quidem certius praevideri possunt: At in iis quàm mendaces, quàm ignari! *Mendax ut Astrologus* obtinuit Proverbium.

Tota mobilium caelorum machina constituit globum, seu *Sphaera*. sphaeram, quae à Mathematicis definitur, *Corpus solidum una superficie contentum, cuius lineae à centro ad circumferentiam ductae sunt aequales*. In illa caelesti sphaera quaedam puncta, lineae, & circuli designantur, quibus explicentur viae motuum caelestium. Huius ut accuratior haberetur idea, Astronomi sphaeram artificialem construxere, quae est Ectypa mundi realis Archetypi, cuius partes ita mente concipi debent, ut terrestria caelestibus sint homologa, & puncta punctis, circuli circulis mira proportione respondeant. Notantur itaque in caelesti sphaera duo Poli, seu cardines, *Arcticus* alius, alius *Antarcticus*, seu *Borealis*, & *Austrinus*, & linea ducta ab uno ad aliud, quae *Axis* Mundi vocatur. Circa hos cardines, supra hunc Axem perficitur motus diurnus. Statuuntur praeterea decem circuli, sex maiores, totam sphaeram in duas aequales partes secantes; & quatuor minores, illam dividentes in duas inaequales. Sunt illi, *Aequator*, *Zodiacus*, *Meridianus*, *Coluri Solstitiorum*, & *Aequinoctiorum*, & *Horizon*. Ii verò sunt, *Tropicus Cancrini*, & *Tropicus Capricorni*; *Circulus Arcticus*, & *Circulus Antarcticus*.

*Aequator* à nautis per antonomasiam dictus *Linea*, est *Aequator*. circulus sphaeram dividens in borealem, & australem, ac omni ex parte aequaliter à Polis distans. Dicitur quoque *Aequinoctialis*, quia quo die Sol eum decurrit, nox diei aequatur. Id bis in anno contingit, tempore à me assignando. *Zodiacus* est circulus Aequatorem oblique secans; ita ut altera sui *Zodiacus*. parte accedat ad Boream, altera ad Meridiem, recedendo à Linea ad usque viginti tres gradus & dimidium. Hac *Zodiaci* declinatione mirificam nobis procuratam commoditatem enarrabo. In hoc circulo sunt duodecim illae constellationes, quae dicuntur signa *Zodiaci*, quae Sol singulis decurrit annis. Haec signa, dum volueris, Astronomiae nominibus decorabo. Insuper quolibet dato anni mense, assignabo diem, in quo Sol eius mensis signum ingreditur. Demum quemcum-

que

*Meridia-  
nus.*

*Horizon,  
& alii cir-  
culi.*

que anni diem adducas, gradum signi, in quo Sol eo die reperitur, quoque adducam. Per Zodiaci latitudinem Planetae vagantur; Sol tamen mediam semper tenet lineam, quam *Eclipticam* dicunt, quod in ea fiant Eclipses, quo modo exposuimus. Meridianus sphaeram partitur in orientalem, & occidentalem. Ducitur ab uno in alium Polum, transitque per puncta, quae *Zenith*, & *Nadir* nominamus. Solis ad eum appulsu fit meridies, variusque est pro varietate locorum. Horizon distinguit sphaeram in superiorem, & inferiorem, estque alius *Rationalis*, alius *Sensibilis*, quorum dabo discrimen, ceterorumque circulorum officia.

## CHRONOLOGIA.

*Chronolo-  
giae dotes.*

*Temporis  
notio.*

*Hora.*

*Dies.*

**E**X motu astrorum, Solis praecipue, Lunaeque, tota pendet Chronologia, quam nos rationem temporum dicimus. Est verò ipsa totius historiae prora, puppisque, ad omnem humanitatis disciplinam ianua, ac mortalibus cunctis, Altarium maximè Ministris, summoperè necessaria. Nae facilius quisque tempus mente percipiet, quàm describat verbis. Philosophi tamen aiunt, tempus esse mensuram motus, vel durationem rerum corporearum, nec sine principio, nec sine fine existentium. Iis enim, quae divina sunt, non tempus competit, sed aeternitas. Circa temporis initium, quousque processerit Gentilium infania, audies è nobis. Tribuitur tempus in horas, dies, hebdomadas, menses, & annos.

Hora nobis est vicesima quarta pars diei, quae iterum in sexaginta dividitur minuta; quodlibet rursus minutum in sexaginta secunda, & ita porro; quae secundorum, tertiorumque divisio Astronomiae potissimum usui addicta est. Sed numerandarum horarum initium non ubique unum. De varia olim horarum apud Gentes acceptione, deque aliquarum aequalitate, aliarumque inaequalitate, plurima auribus capies, quibus nonnulla Scripturarum loca enodata surgent.

Diem Astronomi alium *naturalem*, ad quem refertur *Astronomicus*, adpellant, alium *artificialem*, cui nox ex adverso respondet. Dies naturalis ubique locorum semper aequalis existit; artificialis contra pro varia sphaerae positione, proque variis anni temporibus impari donatur magnitudine. Alia praeterea est dierum distributio: nam alium *Civilem* dicimus,

Le-



*Legalem* alterum, tertium *Ecclesiasticum*. Dierum quoque varia sunt apud profanae, & sacrae Historiae Scriptores, vocabula. Romanis ex Numae instituto alii dies erant *Festi*, alii *Profesti*, (Profesti quidam dicebantur *Fasti*) alii *Intercisi*, alii *Comitiales*, *Comperendini* alii, alii *Stati*, demum alii *Praeliaries*. Sunt & apud ICC. dierum nomina alia permulta: *Atri*, *Religiosi*, *Sigillarii*, *Diffisi*, complures item alii. Apud sacrarum etiam rerum Scriptores dies *Sancti*, dies *Votorum*, dies *Magnus*, dies *Consecrati*, dies *Aegyptii*, dies *Neophytorum*, dies demum *Censorius*, seu *Humanus*, de quibus ego omnibus, & de cardinibus quatuor, à quibus dierum initia ducuntur, longam orationem contexam.

Septem dierum series continuata hebdomadam constituit, *Hebdomada* seu *septimanam*. Insignitur haec nominibus quibusdam à me enarrandis, una cum dierum eius vocabulis, quibus & Ethnici, & Christiani utuntur. Addam nonnulla de Sabbato, & Dominica Domini surrectione sacrata. Annorum hebdomada huius non est loci.

Mensis est duodena pars anni. Sunt autem menses Solares alii, alii Lunares. Hi partiuntur in Synodicos & Periodicos, quorum dabo mensuras. Synodicus, dum usui civili aptatur, alius est *cavus*, alius *plenus*, alius *embolismicus*. Mensis Solaris sumitur triginta dierum. Graeci verò menses ipsos in tres decades dividebant, appellabantque dies mensis *ineuntis*, *instantis*, *cadentis*. Quibus autem nominibus Hebraei, Aegyptii, Attici, Macedones, Persae, Armeni, Hagareni & Arabes, tandem Romani menses appellarint, & eorum quisque eccui respondeat nostrorum, unde etiam sumant initium, quamque apud Latinos subeant divisionem, lubens demonstrabo.

Annus, quasi maior circulus, alius dicitur Solaris, alius Lunaris. Ac Lunaris quidem duodecim constat Synodicis mensibus, rursusque distinguitur in Lunarem Astronomicum, & Civilem, quorum durationem exactam adferemus. Annus Solaris est temporis spatium, quo Sol Eclipticam percurrit, secaturque item in Astronomicum, seu Tropicum, & Civilem, sive Aegyptiacum. Anni mutationes à Romanis inductas in medium ponam: atque si correctiones Julianam, & Gregorianam, causas ad eas cogentes, modum in iis servatum, utilitatemque inde maximam proveniente[m], eloqui me iusseris,

rem

rem per mi gratam , perque iucundam efficies. Quae gentes Gregorianam correctionem non admisere , uti dicuntur stylo veteri ; quae verò eam sunt amplexatae , stylo novo.

*Kalendari-  
rium.*

Orta hinc Kalendarii Iuliani , & Gregoriani forma , quae nihil aliud est , quàm dierum in anno civili dispositio secundum proprios menses , & eorundem in hebdomadas distributio , festis etiam adsignatis. Illius constructioni manum admoventi Cyclorum notio summè est necessaria , litterarumque Dominicalium ordo. Cycli tres in usu sunt , Solis , Lunae , & Indictionis. Solis Cyclus est viginti octo annorum spatium , quo peracto , idem rursus redit litteralium Dominicalium ordo repetendus. Lunaris Cyclus est revolutio novemdecim annorum , quibus decursis , Neomaeniae ad idem ferme principium redeunt. Cyclorum horum initium , usum , & Auctores referam. Cyclus Indictionis , cuius arbitraria omnino institutio fuit , est tempus quindecim annorum , quibus transactis , ad unitatem fit regressus.

*Cyclorum  
notio.*

*Periodi in-  
signiores.*

Periodum quoque non exiguus est in Kalendario usus. Quinque numerantur insigniores , tres Graecae , scilicet , Antiochena , Alexandrina , Constantinopolitana ; duaeque Latinae , Victoriana altera , altera Iuliana. Periodus Antiochena est spatium 5493. annorum , quos Graeci Antiocheni interfluxisse statuebant ab orbe condito usque ad Christi natale. Alexandrina Periodus est annorum 5501. quot Graeci Alexandrini numerabant à mundi exordio ad Domini nativitatem. Constantinopolitana est series annorum 5509. tanto scilicet temporis intervallo post orbem conditum Iesum fuisse natum , existimabant Byzantini. Victoriana Periodus ex duobus Cyclis Solis & Lunae invicem ductis coalescit ; ex quibus emergit summa 532. annorum à me tradendi usus. Ceterum exactior est ceteris mensura annorum Periodus Iuliana ex tribus conflata Cyclis , annorumque idcirco 7980. ad annosque Iulianos accommodata.

*Epochae.*

Interest praeterea in sacrarum , aut profanarum Historiarum mare vela dantes , Mundi tempora in certas Epochas distribuere. Epochae ergo est fixus quidam cardo , quo rerum gestarum indigitantur tempora. Plures quidem numerantur , eum sacrae , tum profanae , singulae illustri facto consignatae. Inter ceteras princeps est , sacrarumque prima Mundana ; quae scilicet a creatione mundi inchoatur. Altera , quae

*Sacrae.*

ab

ab universali diluvio ducit initium: Tertia progrediens à vocatione Abraham: Quarta, quam auspicamur à Lege per Moysen lata: Quinta originem portans ab aedificatione Templi: Sexta, quam à soluta per Cyrum captivitate exordimur: Septima à Christi nativitate numerari coepta. Inter profanas prima numerari solet, quae incipit ab expugnata Troia: Secunda à ludis Olympicis: Tertia ab urbe Roma condita: Quarta ab anni correctione Iulii Caesaris iussu facta: Quinta ab imperio Augusti: Sexta, Hispanis propria, sumitur à dominatione Augusti in Hispanias: Septima, quam Hegirae vocant, à fuga Mahumetis, cuius in Iberia nostra non exiguus est usus in versandis Arabum libris. *Profanae.*

At, at: quo in anno Epochae singulae figendae sunt? Accingebar alacer, cum ecce tibi summorum Virorum inter se digladiantium opiniones represere impetum incauti animi, novique experimento, plus esse negotii in hoc nodo solvendo, quam in Gordiano. Ergo cecini recesui: tantum quae clarissimis Chronologis ferè arrident, exscribam ad usum, qui instantis est horae. Nec est quod huius me pudeat; cum enim sciam id litteratissimis viris onus esse Etna gravius: quid mihi homunculo recens nato, qui Chronologiam eo tantum modo attingi, quo Canis Nilum?

Itaque Mundi genesis figenda est in anno Periodi Iulianae 710. ante Aeram vulgarem 4004. Diluvium in anno P. I. 2366. ante. Aer. V. 2348. Mundi 1656. Vocatio Abraham in anno P. I. 2793. ante Aer. V. 1921. à creatione Mundi 2083. Lex data anno P. I. 3223. ante Aer. V. 1491. Mundi 2513. Expugnatio Troiae anno P. I. 3530. ante Aer. V. 1184. Mundi 2820. In itutae Olympiade, anno P. I. 3938. ante Aer. V. 776. Mundi 3228. Templum anno P. I. 3710. ante Aer. V. 1005. Mundi 3000. Roma condita anno P. I. 3961. ante Aer. V. 753. Mundi 3251. Soluti Iudaei anno P. I. 4178. ante Aer. V. 536. Mundi 3468. V. C. 218. Regnum Augusteum in Hispania nostra anno P. I. 4676. ante Aer. V. 38. Mundi 3966. V. C. 716. Natale Christi Dionysianum in anno P. I. 4714. Mundi 4004. V. C. 754. anno 1. Olympiadis 195. toto quadriennio post verum Christi natale. *Epocharum initia.*

Age porro ante latam doctrinam infervire cogamus; quandoquidem dulces aures longa oratione obtundi: Tamen libenter

E

ter

ter eam patitor, Lector humanissime; ea enim ad problemata sequentia solvenda aditum aperit. Eccilla.

Annum pro libidine adsigna: I. Proprium illius Cyclum solarem tibi dabo.

II. Quot huius Cycli praecefferint revolutiones, numerabo.

III. Litteram Dominicalem, iis qui stylo utuntur veteri convenientem, inveniam.

IV. Eam, qua Nos novo stylo utimur, adducam.

V. Epactam veteri Kalendario intervenientem indigitabo.

VI. Mox nostro respondentem inducam.

VII. Inde Festa mobilia: Septuagesimam, Cinerem, Pascha, Litanias, Pentecostem, Trinitatem, Corpus Christi, Adventum, Tempora quatuor: quid multis? Kalendarium Ecclesiasticum & Iulianum, & Gregorianum efficiam.

VIII. Utriusque Novilunia, Plenilunia, Quadraturas assignabo, prout civili inserviunt consuetudini.

IX. In quo septimanae die annus inchoatur, & languescit, pandam.

X. Numerato anni diei hebdomadae diem alligabo.

XI. Quonam hebdomadae die Mensis quisque incipiat, definitve, monstrabo.

XII. Dato die Mensis, Lunae aetatem dabo.

XIII. Sitne annus Bisextus, extempore dicam.

XIV. Quot à Christo praecefferint Bisextiles numerato tradam.

XV. Cyclum Lunarem subiiciam.

XVI. Numerum transactorum una adferam.

XVII. Exequar idem in indictionibus.

XVIII. Periodos Graecas, Antiochenam, Alexandrinam, Constantinopolitanam; Latinas etiam, Victorianam, & Iulianam anno exaequabo.

XIX. Quot anni à Mundi productione fluxuerint, quot à Diluvio, quot à vocatione Abraham, quot à Lege data, quot à constructione Templi, quot ab excidio Troiae, quot ab institutis ludis Olympicis, quot ab Urbe condita, quot à Iuliana correctione, quot ab imperio Augusti, quot à vero Virginis partu, quot ab Aera Hispanica, quot demum ab Hegira statuam ob oculos.

XX. Annum ante Christum indica : Quot annis singulas subfequatur Epochas , praecurratvè , fcies.

XXI. Annum Epochae cuiuslibet in medium adfer : Ceterarum annos , quibus eam praecedunt , vel fequuntur , vel concurrunt , videre licebit.

XXII. Annum Periodi Iulianae notato : Cyclos ei respondentes inveniam.

XXIII. Cyclos nomina : Annum , cui in Iuliana Periodo convenient , perquiram.

XXIV. Demum Periodi Iulianae annum elige : Respondet ei à me dictus annus.

Et haec de Chronologia , scientia quidem iucundissima , tota tamen aleae plena. Id verò unum monitum volo , proposita problemata , si pauca demas , non memoriae praesidio , sed Arithmeticae ope esse expedienda : inde minime mirandum , si in aliquibus non nihil sit morae. Quapropter , qui cuncta problemata unà sibi adferri enodata cupiat , nè adstantibus morosi , fastidioque fimus , poterit id hora matutina innuere , eique sub vesperam erit satisfactum. Si verò aliqua desideret tantùm , tunc , evestigio rem peragemus.

## GEOGRAPHIA.

**E**Xcipit nos Geographia fax altera , oculusque Historiae. Quemadmodum Astronomi sphaeram caelestem circulis , lineisque ornant , quò facilius motuum caelestium contentus mente percipi possit : ita Geographi globum terraqueum iisdem ferè lineis , circulisque cingunt , quò certus locorum situs in terra figatur , eorumque ad caelestia corpora obtutus innotescat. Signantur itaque & in terraquea mole Centrum , Axis , Aequator , Tropici , Horizon variabilis pro varietate locorum , Circuli Polares , Meridianorum multitudo secundum longitudinem locorum , & Parallellorum turba pro ipsorum latitudine. Horum omnium proferentur officia. De Zonis verò , de triplici Sphaerae positione , de elevatione Poli , de longitudine , & latitudine locorum , de Ascis , Amficiis , Heterosciis , Perisciis , Anteciis , Periaeciis , Antipodis , de Mensuris demum in Geographia usitatoribus , dum perconteris , nostram in iis exercitationem experimento disces. Continens , Insula , Peninsula , Isthmus , Fretum , Sinus , Pro-

*Circuli terrestres.*

montorium, cet. vocabula sunt, quae passim offendimus: quid quoque exprimat illicò sciatur.

## PHYSIOLOGIA.

**A** Gesis, Physiologos agamus. Quidquid intra cavitationem caeli lunaris comprehenditur Elementarem Mundum vocamus; proptereaquod ex elementis componitur omnis in eo contenta natura, seu elementum est. Huius nomine intelligitur, Corpus simplex, ex quo mixta primum constituuntur, & in quod resoluta ultimò abeunt. Ut ut Antiquis datur illorum numerus quaternarius: ignem tamen sub concavo Lunae propriam habere sedem, cordato vix nunc suadent. Certius adhuc statui debet, aquam haud quaquam esse altiore terra, nec mare in tumorem attolli. Ignis natura, non sola structura, & motu partium constat, sed substantia est homogenea, cuius sunt dotes calor, siccitas, levitas, modò absolutam non intelligas. In aliquibus mixtis vivacior est, turbulentus, ac vorax; in aliis quietior, & quasi somnolentus. Quibus generetur modis, dicetur, illiusque exponentur phaenomena. Sunt illius quaedam quasi conceptacula in terrae visceribus conclusa ex sulphurea, & bituminosa materia inibi accensa; ex quo foras erumpente fiunt spiracula illa vulgò *Vulcani*, qui sunt veluti subterraneorum incendiorum camini. Unde tanta tantis tamque perennibus flammis materia suggeratur, haud erit arduum reperire.

*Ignis.*

*Subterranea incendia.*

*Aer.*

Aër corpus est fluidum; pellucidum, grave, elasticum, terraqueum circumambiens globum, atque in tres regiones communiter distributum, incertae prorsus altitudinis. Eius est genii, ut facile comprimi, dilatarique possit; quo in statu virtute plusquam Herculea praestat. Aquae, ac nonnullis aliis liquoribus ultrò se insinuat, atque statum eorum induit, proprio veluti deposito, quod certissimis experimentis conficitur. Eius ministerio insigne benefactum respirationis via à natura accipimus, à me libenti animo referandum.

*Aqua.*

Aqua corpus est grave, humidum, frigidum, fluidum. Quam habemus in usum, aliorum elementorum particulis est plena. Ipsa mixtionem maximè promovet, nonnumquam motu eius naturae contrario. Terra est corpus siccum, densum, grave, ceterorum elementorum impurissimum, quodque, fu-

*Terra.*

spi-

spicio inest, extare nullibi limpidum. Terrae hanc immensam molem metu exangues experimur saepe concuti, nutare, tremere. Sunt haec tres Terraemotuum species apud Philosophos solemnes, quarum causam vento, & exhalationi intra terrae cavernas inclusae adscribo; quae dum rarefit, hinc inde agitur, ac vim facit, ut exitum sibi aperiat.

*Terraemotus.*

## MINEROLOGIA.

**N**Utrit in gremio suo Terra, fovetque Mineralia, quae ad tres classes reduci possunt, lapides, metalla, & quae commune Fossilium nomen retinent. Horum omnium materia est aqua, & terra; sed purior, atque extenuata prius in halitus, qui variè temperati, defaecati, ac invicem commixti in haec corpora concresecunt. Causa verò efficiens est, tum internus viscerum terrae calor; tum externus Solis, & siderum. Lapis describitur, Corpus durum, quod neque est ductile, neque aqua exsolvitur, nec per se est liquabile. Concresecit ex halitu terreo humore aquae diluto, qui prius addensatur in liquorem, ac deinde humido digesto, & à fisco terreo fixato in durum corpus evadit. Sed vulgarium lapidum, & pretiosorum, & factitium concrectionem dabimus in pugna, ubi rationem adsignabimus, cur in quibusdam gemmis muscae, formicae, & alia huius generis plura reperiantur.

*Lapides.*

Metalla sunt corpora dura, liquabilia, ductilia. Concresecunt & ipsa ex fluore purioris aquae, & terrae, sed in quo dominatur humor terreno frigore veluti congelatus. Septem communiter species recensentur, Aurum, Argentum, Stannum, Plumbum, Ferrum (cuius Calybs est quaedam purior species) Aes, & Mercurius. Stibium, & Vitrum mediae sunt naturae metalla inter, & lapides. Praeter haec eruuntur è terrae visceribus innumeri alii succi concreti, sub communi Fossilium nomine comprehensi, ut Cerusa, Oera, Cinnabaris, Naphta, Bitumen, Sandaracum, Gypsum, cet. de quibus singulis dicere longius foret: At de Sulphure, & Sale aliquid invitati dicemus.

*Metalla.*

ME-

*Cometa.* **M**eteora dicuntur quasi in sublimi adparentia ; notantur tamen eo nomine , quae phaenomena in terris , & aquis fiunt. Ex terra , & aqua , calore , tum interno terrae , tum externo Solis , vapores , & exhalationes , diversae plerumque naturae elevantur , è quibus Meteora illa , quae in aëre visuntur , efformantur. Calamo subiicitur primum Cometa , de cuius natura iam olim acris extitit controversia. Visum Aristoteli , Cometas omnes gigni infra Lunam. Placuit Recentibus , & Antiquis , cunctos supra Lunam collocare : Tamen horum alii corpora perennia iudicant , alii de novo producta. Ego verò nisi omnes eiusdem naturae dicerent , cunctis annuerem. Surgunt Cometae imparis nonnumquam figurae ; sed praecipuè Caudati , Barbati , Criniti celebrantur. Est ipsis etiam diversus plerumque color , & motus varius. Hae omnia , & Cometarum significatio longam in conflictu orationem conficient. Supralunarem videtur fuisse Cometam anno praeterito , mense Septembri , in Borealibus partibus conspicuum , quemque tanta populorum inani murmure territorum commotio praecessit. Trepidant etiam Cometarum aspectu è trivio homines. Quid si Wisithoni deliramenta audiissent de Noetica alluvione , & futura ultima conflagratione ?

*Tonitru.* Fulminis , Fulguris , & Tonitru una est materia , nempe exhalatio calida nitro , ac sulphure foeta. Hae involuta crassis nubibus ignem concipit , rarefensque , ac latè serpens in nube mugitum illum edit , quem Tonitru vocamus. Cum è nube subtiliores quaedam halitus partes erumpunt , fit Fulgur : At crassiores conglobatae , & intra nubem involutae , sunt materia Fulminis , quod erumpit tandem , ac vibratur. Ceterum , horum genesim clarius intelliges , quum de modo , quo haec sulphurea , nitrofaque materia in nubis capacissima amplitudine disponatur , me audies differentem. Circa effectus Fulminis causa queritur , cur editiora loca ferire potius soleat ? Cur à quibusdam rebus , quasi scrupulosè abstineat ? Ad haec praesto sum.

Praeter haec famosiora Meteora , gignuntur pleraque alia minora ex eadem paene materia , ut stellae illae discurrentes , & cadentes , quas nocte serena videmus veris stellis simillimas. Non tamen sunt verae stellae , ut aperitum vulgus



gus existimat, sed puriores exhalationes in suprema regione aëris accensae. Ex eadem exhalatione, sed densiori, & minus pura, fiunt alii Meteorici ignes circa mediam regionem aëris; ut Caprae saltantes, Dracones volantes, Faces ardentes, Lanceae, Columnae, Globi, cet. quae omnia tantum differunt penes diversam materiae dispositionem. Alia non pauca formantur in infima parte aëris, ut Castor, & Pollux, seu Ignis Sancti Telmi, Ignis lambentes, Ignis fatui, seu ambulones, cet. de quibus, si rogor.

Ignia Meteora numeravimus. Aërea sunt expendenda, inter quae praecipui sunt Venti, quorum natura occulta, sed manifesta est utilitas. Circa eorum naturam, vim qua pelluntur, illorum multitudinem, & qualitates, ac turbines illos Ecnephias, Typhon, & Praester dictos, affabor. Inter aquea Meteora recensentur, Nubes, Pluvia, Grandio, Nix, Glacies, Ros, Pruina, Manna, & Mel. De illis, dum placuerit, colloquia miscebimus. Iridem intueamur, opus undequaque pulcherrimum, è innumeris coalescentem coloribus. Pingitur à radiis solaribus in nube pluviosa, & rorida. Plura in illo observatu dignissima, praecipuè mixtura colorum, eorum dispositio, eiusque curvatura. Haec cuncta cum Galaxia, Parheliis, Voragine, Virgis, Corona, cet. in conflictu illucescent; non enim omnia sunt chartae committenda.

Non ignobile aquae phaenomenon est Marinus Aestus, seu fluxus, & refluxus. Huius, in Oceano conspicui, ea est diversitas, ut pro varietate littorum, varius quoque ipse ferè ubique conspiciatur. Eius causam deliri Veteres inspirationi, & respirationi viventis Mundi tribuebant. Plerique in influxum Lunae retulere. Alii alias iniere hypotheses, quibus non res est effecta clarior. Salsedo maris causam habet non dubiam, multum, nempe, salis admixtum eius aquis. Unde tanta copia suppetat, unde ceterae aquarum qualitates, sapor, odor, calor, color, cet. oriuntur, in certamine abundè. Fontium, Fluminumque causam nos triplicem assignamus: aquam pluvialem, aqueum vaporem, & aquam marinam.

*Venti.**Iris.**Aestus Maris.**Fontium origo.*

PHI

## PHITOLOGIA.

**D**Ecoratur, ornaturque plurimum Terra Viventibus, quorum infimum locum tenet Planta. De ea orietur sermo, dum circa Viventia in universum quaedam praelibavero. Vivens ab anima dicitur, cuius obscura adeò est natura, ut nusquam de ea Antiqui convenerint, nullibique turpius errarunt. Sit ergo anima cum Aristotele: *Actus primus corporis physici organici potentia vitam habentis*. Animae partitionem in vegetantem, sentientem, & ratiocinantem, iustam existimo; quatuorque vivendi modos meritò secernendos, reor. In uno vivente, plura etsi sint vitae genera, una tantum anima reperitur, quae omnes vitae functiones praestat: Animae varias inesse facultates, constat. Haec ab actibus proximè speciem sumunt, iis mediantibus ab obiectis. Vegetantis animae facultates dicuntur tres, Nutritiva, Augmentativa, & Generativa, quibus dicuntur inservire, Attractrix, Retentrix, Concoctrix, Expultrix.

*Nutritio.* Nutritiva facultas dicitur, *vis conversiva alimenti in substantiam aliti*. Nutritio, *illius in hanc conversio*. Falsus Lombardus fuit adfirmando, nihil alimenti verti in viventis substantiam. Nutritio viventibus propria est, totoque durat tempore vitae. Cur verò aliqui, nec multo cibo pinguescant, alii etiam modico, à nobis exoptula. *Augmentatio est motus vitalis à minori ad maiorem quantitatem*; Augmentativa potentia, vis qua id fit. Accretionem vigere toto tempore vitae, non facile credam. Communior haec circumfertur Generationis definitio: *Origo viventis à vivente coniuncto in similitudinem naturae*.

*Plantarum species.* Vertitur ad Plantam oratio. Eius ita numerosae sunt species, ut singularum nominibus recensendis, ne quidem iustum volumen sufficeret. Generaliter tribuitur in perfectam, & imperfectam; illa verò in Arborea, Frutices, & Herbas. Arbor est planta lignescens, unico caudice ad insigniorem proceritatem assurgere nata, ut Quercus, Olea, Ficus, cet. Frutex est planta lignescens multiplici caudice à radice ad modicam altitudinem procedens, ut Rubus, Avelana, Rosetum, cet. Herba est planta à radice statim foliata, caudice, vel nullo, vel minimè ligneo, ut Portulaca,

ca, Lactuca. Harum quaelibet innumeras sub se complectitur, quas referre huius non est horae.

Donarunt Manichaei Plantas anima ratiocinante, quarum florem proinde, fructum, ramulumque violenter confringere, crimen esset, & homicidii genus quoddam. Gentiles pro more Plantis numen suum affingebant, in earum insignioribus habens domicilium. Tribuerunt eis non pauci vitam sentientem. Putarunt è contrario nonnulli eas à lapidibus sola structura differre. Nos firmiter existimamus, eas animari, vivere, earumque formam esse propriè animam; ceterum sensationem omnem, animamque sentientem ab eis removemus. His Plantarum physiologiae satisfactum arbitramur, earum nutritionem, accretionem, propagationem, diuturnitatem vitae, brevitatemque, morbos, interitus, ac demum proprietates Botanicis scrutandas relinquendo; quae enim nostra erant, supra retulimus.

*Anima  
plantarum.*

## ZOOLOGIA.

**I**Nter vita praedita caput extulit Animans. Hoc dum merum automaton esse, seu machinam secretis elateriis agitatam, contendit Cartesius, alium quaerat, cui centones faciat. Animam sentientem, nedum vegetantem, illi concedimus, Ergo reguntur Bruta cognitione, aguntque propter finem, modo paulo perfectiore, quam cetera naturalia. Sed; numquid ideo directivè?; Pollent vel imperfecta ratione? Donantur discursu? Nobis hic aqua haeret. Tamen, utriuslibet momenta proponas, eo, quo ab eius patronis, dissolvam more. Anima sentiens animantium est forma, primumque sentiendi principium, cuius sensus sunt quasi ministri.

*Anima-  
lium natu-  
ra.*

Sensitiva cognitio perficitur speciebus ab obiectis productis, non sensibus à natura impressis. Eas motiones tantum fibrarum, aut spirituum, seu vana, & inania rerum spectra cum Cartesio dicere, nobis interdictum. Lucretius, species esse asserens de rasis è corporum superficie particulas ad sensum ad volantes, à nobis exulat. Sensus externi sunt veluti fores ad internos. De his dictum alibi. Illi quinque numerantur, Visus, Auditus, Odoratus, Gustus, & Tactus. Commune eorum obiectum est sensibile singulare praesens,

*Sensitiva  
cognitio.*

localiter extensum , in debita distantia. Cum triplex adferatur sensibile , proprium , commune , & accidentale : numquam sensus circa proprium per se fallitur ; attamen erga sensibilia communia , & per accidens , potest esse occasio fallaciae.

*Visus.*

Reliquos perfectione superat sensus Visus , cuius organum est oculus in anteriori , sublimique animalis parte locatus , quasi ad tuendam arcem. Huius pulcherrimi membri figura est sphaerica , ac anteriori parte tantisper extuberans. Constat quinque membranis , tribus humoribus , nervis , musculis , cet. quae omnia longius in arena expedientur , ubi ex variis illius partibus , quaenam propria visionis sedes sit habenda , decernemus , atque phaenomenorum , qui sequuntur , retegimus causas : I. Radii lucidi per foramen in camaram ingressi , imaginem pingunt lucidiorem , quo camarae latera fuerint nigriora. II. Cum obiecta sunt remotiora , complanatur ab animali oculus , cum fuerint propria , producitur. III. Myopes remotiora nequeunt cernere : contra verò Praesbidae proximiora. IV. Cum versamur inter obiecta admodum splendida , coartamus pupillae foramen : cum è contrario inter obscuriora , dilatamus. V. Navigantibus navis videtur stare , cetera visuntur moveri.

*Lux.*

Medium visus est corpus perspicuum , ut aër , aqua , vitrum , per quae lux ad oculum transit. Luce nihil clarius , eius natura nihil obscurius , nobis praesertim , quibus hac in re philosophorum opinationes ex aequo displicent : itaque à sententia ferenda duximus abstinendum. Si in ea sis opinione , ut lucem soli tantum , & igni convenire iudices , lucentium corporum exercitu , cogam ut exuas. Lucis proprietas est , ut reflecti , & refrangi possit ; dumque umbra , & opacitate diluitur , degenerat in colores. Horum alii adparentes dicuntur , alii permanentes. Hi cum innumeri videantur , duo tamen sunt extremi , albus , & niger , quos inter ceteri mediant , ad hunc , illumve accedentes.

*Color.**Auditus.*

Auditus organum aliud exterius est , nempe auricula , in qua haud fit auditio ; aliud interius è membranis , nervis , ossiculis , cet. compactum , in quo perficitur sensatio. Illius medium est aër , aut aliud corpus fluxum facile mobile. Obiectum est sonus ex collisione corporum , & medii resiliencia causatus. Si sono corpus concavum occurrat , reflectitur , reciprocaturque : inde Echo , numquam loqua-

quacissima. Reliquos ex ordine sensus iussi evolvemus.

Ex his, quae per sensum animal accepit, vitali impulsu fertur in objecta, seu ea detestatur. En appetitus, qui dicitur sentiens in irascibilem, & concupiscibilem fractus; *Appetitus sentiens.* quorum iste bonum nudè respicit, ille difficultatibus circumseptum. Horum motus adpellantur passiones, quòd cum alteratione, & corporis passione contingant. Attinet ad concupiscibilem amor, odium, desiderium, fuga, gaudium, tristitia. Insunt irascibili spes, desperatio, timor, audacia, ira. De cunctis à nobis interponetur sermo.

Animalia, non secus ac Plantae, nutriuntur, augentur, generant. Habent verò, has praeter operationes, alias sibi peculiare, mirabili partium, organorumque flexilitate practicabiles. Sunt autem corporis partes, quas similes vocant, è quibusque conflantur dissimiles, os, cartilago, tendo, ligamen, fibra, membrana, vena, arteria, nervus, caro, cet. Harum ministerio respiratio, inspiratioque exercetur, vox articulatur, seu sonus editur, motus localis perficitur. De modo, quo haec omnia contingant, non brevis texetur oratio.

Sunt Animalia somni, vigiliaeque alternationi obnoxia. *Somnus.* Quid porro est somnus? Diceret Empedocles, *moderata sanguinari caloris refrigeratio.* Zeno Stoicus, *contractio, atque lapsus animi.* Leucippus, *excretio animalis caloris.* Non placeat. Aptius dicetur, *Feratio sensitivarum operationum, & quoddam vinculum sensuum.* Suspenditur enim commercium sensus inter externos, & internos, nervorum obstructione. Sed quid nervos obstruit? Nosces, quum de modo, quo à somno excitamur, dem quoque verba.

Longitudo, & brevitae vitae in animalibus, perinde ac *Longitudo, & brevitae vitae.* in plantis, pendet ex humidi cum calido temperatione; ita ut his animalibus vita longior sit, in quibus calidum, & humidum ita se habent, ut & humidum tenax sit, lentum, oleaginosum, non subiti, sed durabilis caloris pertinax fomentum; calidum verò robustum, ut facile non extinguatur: blandum tamen, & purum. Ea autem sint brevioris vitae, in quibus haec duo vitae principia ab hac contemperata defleunt. Hinc insecta brevis sunt vitae, quia constant humore aqueo, qui facile congelascere potest; & eorum calor exilis est, & facilè extinguiibilis. Animalia terre-

na communiter sunt aquatilibus vivaciora. In Avibus Passeres sunt brevis vitae, inter quas Corvus maximè continens diutissimè vivit.

*Senectus,  
& Juven-  
tus.*

*Mors.*

Senectutis, & Juventutis discrimina ex iisdem principiis pendent, humido, scilicet, & calido; quae prout varios status agendo in se invicem succedenter subeunt, vitam in varias aetates distribuunt, festinato ad mortem cursu. Haec definitur à Galeno, *Extinctio caloris naturalis*; quippe ille est individuus vitae minister, quo vigente viget vita, quo extincto deficit. Mors alia naturalis, alia violenta. Utriusque adducentur causae. Verum de Animalibus haec attigisse, pinguique, ut aiunt, Minerva expendisse, sufficiat. Nobilissimorum enim horum terrae incolarum tanta est specierum multitudo, ut fatius duxerim, nullius meminisse.

## ETHICAE.

*Dotes, scopus,  
& praestantia  
Ethicae.*

**A** Desdum lucidissima pharos. Quid non modo nos, sed omninò vita hominis sine te esse potuisset? Tu urbes peperisti; tu dissipatos homines in societatem vitae convocasti; tu sollicita es virtutis indagatrix: tu sagax vitiorum expultrix: Cetera persequatur Tullius. Adpellata ab Antiquis fuit eximia haec Philosophiae pars *Georgica*, id est *Agricoltura animi*, quòd ut agrorum cultura illos ex se aut steriles, aut infelicium dumtaxat plantarum feraces, exercendo, curando, artificiosèque tractando, non ornatiores modò efficit, sed utilium, suaviumque fructuum multiplici proventu felices: sic Ethica humanum Animum sine cultu rudem, agrestem, squallidum, brutescentem, horrentemque vitiis, non modò praeceptis suis informando, politiores, mitiores, ornatioresque efficit; sed etiam virtutum, quibus nihil in humanis exoptabilius, formosiusque existit, uberrimo fructu cumulatum. Quae ars, quàm ceteris praestet, satis omnes norunt; quanto verò ardore ab Antiquis Philosophis fuerit exulta, sciunt tantum non omnes. Affectus hominis iudicio, & ratione regulandi sunt ei propria materia: forma verò moralitas, seu directio, cuius affectus sunt capaces, quaeque primis practicis principiis fulcitur. Est scientia omni ex parte practica, à Prudentia re distincta. De eius idoneo Auditore praeclara tradi-

45

didit Aristoteles, in quo humana ratio, quousque in Moralibus progredi posset, ostendisse videtur.

Tractationem auspicamur ab ultimo actionum humanarum fine, qui est clavus vitam nostram dirigens, rectamque inter vitiorum procellas tenens. Hunc, ceu portum, ad quem huiusce vitae nostrae navigatio suspirat, esse admitendum, humanus cantherius unice inficiabitur. Est autem finis ultimus, cuius tantum amore trahitur voluntas, cum cetera non nisi illius gratia quaerantur. Nequit voluntas in diversa pariter propendere, nec rationem ultimi finis pluribus tribuere. A recti custodibus differunt improbi, quod ii sibi pro fine praestituant bonum proprium, taxatum, non secundum rationis regulas, sed secundum effraenis, depravataeque passionibus voluntatis libitum; boni ex adverso summum bonum ad rationis regulam determinant, ibique, ubi reperiendum, quaerunt, in illius nempe fonte, pelago, causa, Deo: illum extra qui requirunt, inexplebili beatitatis ardore premuntur. Ne amplius igitur in divitiis delitescentem perscruteris, fordide Avare: Ne in honoribus repositam, popularis aurae captator: Ne in gloria & fama latitantem, laudis venale mancipium: Ne in principatu abditam, pessime politice: Ne in corporis voluptatibus invenendam, è porcorum grege bipes: Ne demum in virtute fixam, Stoica cohors.

*Finis ultimus.*

*Felicitas obiectiva.*

Perfectam beatitatem, etiamsi naturalem, non assequatur homo, dum mortalium vitam agat; sed caelitem dumtaxat cum fruatur consortio: poterit tamen imperfectam quandam libare; nec inficiandum, quin rationis compoti, omnique vitae conditioni, media suppetant vitae praesentis benè, ac feliciter transigendae, si Creatori quisque, quantum illius ferat conditio, firmitus haereat, intellectu eius pulchritudinem, sapientiam, potestatem, cet. intuendo, singulaque eius in nos benefacta animo lustrando; voluntate verò placidè, studiosèque ei in omnibus subiecta, affectuumque nostrorum turbam, iuxta Epicteti regulam *sustine*, & *abstine*, moderando. Huic ad Deum adhaesioni cunctas inesse dotes à Philosophis beanti bono optatas, cogam ut credas.

Haec de felicitate, quam obiectivam didicimus adpellare; formalis vero statum, & essentiam, si Scholasticorum

*Felicitas formalis.*

rum

rum forfice libeat discindere, constanter adferemus, hanc non in pluribus esse sitam actibus; dumque pro voluntatis, & intellectus operationibus luctam cernimus, huic primas committimus, felicitatem essentialem in contemplatione, quae intra naturae ordinem de Deo haberi potest, perfectissima locantes.

*Voluntarii  
notio, eius-  
que hostes.*

His circa finem praeiactis, recta pergimus ad media, quae veluti gradibus ad fortunans bonum intelligens pergit natura. Sunt haec actus morales bonitatis, & malitiae capaces, quibus voluntarii ratio abs dubio convenit. Placet Voluntarii notio ab Aristotele inducta: *Cuius principium est ab intrinseco cum cognitione finis.* Non unus tantum est voluntario hostis. A violentia penitus perimitur, si tamen sufficiens est, compellens, absoluta. Ignorantia quoque, quam antecedentem dicunt, voluntario adfert exitium. Metus, si gravis ille sit, cadensque in constantem virum, minuit quidem voluntarium, non tamen tollit omnino: dicenda adhuc ex eo fluens actio voluntaria potius, quam involuntaria. Verum concupiscentia voluntarium facit, auget, roborat; tam procul abest, ut illud de medio tollat.

*Voluntarium liberum.*

Inter ea, quae insunt voluntario, membra, notiora abs dubio necessarium, & liberum. Istius notio, & existentia turbinem, pulvereamque nubem excitavit, universam pae-ne Theologiae arcem obtegentem, quam ventilandam relinquimus Theologis, ne falcem in alienam mesem misisse dicamur. Libertatis tantum partitionem, & originem evolvemus, ad indifferentiarum notiones digitum intendendo, luctaeque illius statum versando.

*Voluntatis actus.*

Voluntatis actum alium esse elicitedum, imperatum alium, in ore fertur Philosophorum. Haec vocamus actuum seriem in tres choros distributam, quibus homo sciens, prudensque, non passionibus, & imaginatione abreptus, moralis actus exequitur oeconomiam. Agmen ducit simplex apprehensio boni, quae una cum simplici eius volitione, iudicio, & intentione versantur circa operis finem. Sequuntur consultatio, consensus, iudicium discretivum, & electio media executioni parantia. Manus demum operi admovetur imperio, usu agente, & patiente, quibus iucunda in bono quies respondet, quae dicitur fruitio. In his insublandis, explanandisque, orationis filum latissime ducemus.

Im-



Impetus illi animi nostri, qui ex adpetitu sensitivo pul- *Animi ae-*  
 lantes, Passionum nomine designari solent, tanti momen- *gritudines.*  
 ti sunt in negotio morum, ut & virtutum maxima pars il-  
 lis regendis occupetur, & vitia paene omnia ex eorum de-  
 ordinatione proveniant. Passionem Stoici definiebant: *Aver-*  
*sam à ratione contra naturam animi commotionem.* Alii: *Ve-*  
*bementiorem adpetitum.* Alii: *Demissionem, vel elationem ani-*  
*mi.* Non probantur. Potior notio illa, quam Aquinatis So-  
 li debemus: *Motus adpetitivae virtutis sensibilis ex imagina-*  
*tione boni, vel mali, cum transmutatione corporali.* Passionum  
 numerum recole ex Zoologia. Quantum ad earum bonita-  
 tem, & malitiam scinditur studia in contraria Stoicorum, &  
 Peripateticorum numerus, quorum iungit dexteras noster  
 Aquinas. Quae passio rationi obtemperat, & cooperatur, bo-  
 na est: quae vero eius excutit iugum, mala. Quae volun-  
 tatem praecurrit, trahitque, bonitatem minuit: non quae  
 subsequitur vigorem operi, ardoremque inspirans.

Amorem passionum principem dicit Plato *desiderium pul-*  
*chri.* Arcte nimis. Aptius à D. Thoma vocatur *complacen-*  
*tia appetibilis, seu boni.* Complectitur amor dilectionem, cha- *Amor.*  
 ritatem, benevolentiam, concupiscentiam. Prima amoris cau-  
 sa bonum, secunda est similitudo. Effectus paene innume-  
 ri: inter praecipuos recenset D. Thomas unionem, adhaesio-  
 nem, ecstasim, zelum, laesionem amantis, universalem in  
 ea influxum, quae ab amante aguntur, liquefactionem,  
 fruitionem, languorem, & fervorem. Nascitur ex amore  
 odium, ab ipso educatur, fovetur. Contraria amori illius *Odium.*  
 natura, causae, effectus.

Desiderium est passio, qua prosequimur bonum absens. *Deside-*  
 Medium inter est amorem, & gaudium, illiusque cum in- *rium.*  
 numera sint genera, ad naturale, & non naturale iniver-  
 sim reducuntur. Quàm facilè illud expletur, istud verò vo-  
 rax, & in infinitum tendens, pertusum cor ambiens, bo-  
 no nullo expletur. Causat desiderium indigens amor. Cau-  
 santur ab illo ecstasis, unio, taedium, & importunitas:  
 item suspiria, quae sunt retenti spiritus quasi eructationes,  
 ac demum conatus ille, quo

*Nititur in vetitum semper, cupimusque negata.*

Vires saepe ex difficultate, ac dilatione acquiruntur, saepe fa-  
 ci-

*Fuga.*

cilitate languescit. Fuga motus est, quo malum absens vitare, & cavere conamur.

*Delectatio.*

Delectatio, & tristitia, par nobile adfectionum, aliarum sunt meta. Exprimitur delectatio nominibus gaudii, laetitiae, exultationis, iucunditatis, voluptatis, hilaritatis, cet. quae tamen non nihil differunt. Est delectatio iucunda adpetitus in bono quies. Delectationum quaedam spirituales sunt, quae mente, ac voluntate percipiuntur; quaedam verò sensibiles, quae capiuntur sensibus. Primae sunt perfectiores, puriores, maiores; ceterae autem vehementiores. Sensibilis delectatio alia suasionem rationis habetur, alia rationis est expers. Delectationem inducunt opus non molestum, varietas, spes futuri boni, memoria praeteriti; imò nonnumquam praeterita mala, lacrumae, luctus, dolor; similitudo, admiratio, beneficentia, ira. Similiter amari, laudari, suscipi; vincere, redarguere, increpare, delectationem creant. Efficitur delectatione dilatatio duplex; altera propria, quatenus cor in gaudio sese explicare, ac diffundere videtur, tanta aliquando vi, ut non semel mors inde sequatur: altera verò metaphorica. Creat etiam delectatio sitim, ardoremque sui: ligat nonnumquam rationem, & perficit eam, qua percipitur, operationem.

*Tristitia.*

Infertur à contrariis eorum, quae inter effectus delectationis recensuimus, Tristitia, quae est quaedam animi aegritudo ex opinione orta praesentis mali. Eius effectus sunt, angustiare, constringere, & aggravare animum. Si moderata sit, vitae prodest; si secus, illi, corporique nocet; cui proinde haec parantur remedia: delectatio quaelibet, fletus, suspiria, gemitus, lamenta, amicorum compassio, contemplatio veritatis, ac etiam corporea quaedam, inter quae princeps somnus. Haec, quoad Philosophos spectat, de aegritudinibus in concupiscibili residentibus, quasque longiori oratione illustrabimus iis, qui cupidum, patientemque animum in agonem attulerint.

*Spes.*

Adeundae modò, quae ad irascibilem attinent adfectiones. Sunt illae animi quidam veluti conatus, quibus & ad bonum se erigit, & contra mala insurgit. Venit prima Spes, passio nempe illa, qua adpetitus fertur in bonum futurum arduum, adeptu tamen possibile. Sunt eius causae, experientia, vires, cordis calor, & inconsideratio.

Eius

Eius effectus , delectare , perficere operationem , & in amorem eius inducere , à quo bonum speratur. Ex opposito stat desperatio , quae aegritudo est illa , qua à bono difficultatibus circumvallato , & adeptu impossibili , recedimus. *Desperatio.*

Audacia passio est , qua animus insurgit in malum terribile , ad ipsum fugandum , superandumque. Oritur ipsa ex spe , foveturque divitiis , amicis , robore , experiētiis , propriusque calore cordis. Ast germanae , optimaeque audaciae extat causa alia , confidentia , scilicet , divini auxilii , quo huius vitae pericula superare speramus ad aeternam comparandam. Quem nos diem si viderimus ! Revocatur audacia spiritus , & calor ad cor , quasi ad irruptionem vehementiorem faciendam : inde initio periculi aliquando tremor , & motus fortior , quàm in fine. *Audacia.*

Opponitur audaciae metus , qui est deiectio animi victi à gravitate periculi. Numerantur inter eius causas defectus virium , imminentis mali moles , & corporalis dispositio , tum ex parte imaginationis , quae fuliginosa quadam nigredine horrorem rebus affingit : tum ex parte cordis , in quo calor modicus , paciorque , ac debilior spiritus existit. Effectus timoris sunt , contractio & metaphorica , & corporalis , tremor , pallor , quamquam in verecundia , quae metus est quaedam species , hic locum non habeat , sed potius rubor affulgeat , crepitus , interclusio vocis , erectio capillorum , subita aliquando canicies , deliquium , stupor , sitis & ariditas faucium , solutio alvi , turbatio mentis , insensibilitas quaedam , ac sollicitudo evadendi mali. *Metus.*

Ira , concupiscentiae armigera , est appetitus ultionis apertae , cum fervore sanguinis circa cor. Inter eius causas princeps est parvipensio , cuius sunt species , despectus , incommodatio , & contumelia. Has quidquid auget , auget & iram. Est in effectibus eius quaedam delectatio , fervor , non dulcis , & lenis , qui correspondeat sanguini ; sed amarulentus , qui respondeat flavae bili : turbatio rationis , & corporis , taciturnitas , & operatio aperta , non insidiosa. Haecenus irascibilis affectiones per summa , ut aiunt , capita , attigimus , maiori verborum adparatu , doctrinaque *Ira.*

que segete illarum notiones, causas, effectus in certamine lege imposita profecuturi.

*Complexio-  
num multi-  
tudo.*

Animi aegritudines sequuntur ut plurimum corporis temperiem, quae complexio, seu temperamentum vocatur. Huius complexionis varietas, cum in ceteris rebus plurima sit, in hominibus tanta est, ut eiusdem duos vix reperiens, proindeque nec genii unius. Sed quod mirum magis, homines praeseferunt similitudinem, & genium quorundam animalium. Hinc Physiognomica ex lineamentorum analogia, complexionis & affectionum affinitatem explorat: sed incertè ut plurimum, cui adeo nulla fides habenda. Nos tantum temperamenta aliquot adducemus, illorum virtutes, & vitia coniectando, quodque ceteris sit praefendum demonstrando. Rumpamus moras.

*Moralitas  
actuum.*

Nobilior adpetitu sentiente voluntas fertur in bonum regulis morum subiectum. Inde humanorum actuum ducitur moralitas, quae libertatem quidem supponit, cum ea tamen perperam confunditur. Haud rectè eam dixeris solam denominationem externam: Pessimè, ens rationis. Sit a est unicè in ordine ratione facto in actibus liberis ad morum regulas. Actus itaque in obiectum tendens ad honestatis libellam exactum, bonus est; si ab illa deflectat, malus. Non novi medium, nullaque idcirco erit actio plane indifferens in individuo posita, sed necessariò bonitatis, seu pravitatis characteribus insignita.

*Humana-  
rum actio-  
num regu-  
lae.*

Actionum humanarum prima, & remota regula est, non quid hominum ingenio excogitatum, non scitum aliquod populorum; sed mens omnia ratione, aut cogentis, aut vetantis Dei. Apertiùs Lex aeterna. Proxima verò, immediataque regula est conscientia voluntati indicans, quid bonum sit, quid contra turpe. Iis quidquid concordet, bonum, rectumque habetur; quidquid verò adversatur, iniquum, pravumque est. Conscientiae proprium est, testificari, instigare, excusare, accusare, ligare usque eò, ut contra, ac ipsa praecipiat, nefas sit agere. Dabimus, dum sit volupe, notiones conscientiae antecedentis, consequentis, theoreticae, practicae, completae, incompletae, rectae, pravae, probabilis, dubiae, certae, scrupulosae, erroneae. Eia appingamus thesim regendis moribus valde utilem.

lem. Non licet, sequi conscientiam probabilem libertati lenocinantem, in concursu opinionis aequae probabilis, quae favet praecepto: Illicet potiori iure amplecti opinionem minus probabilem faventem libertati, in occursum probabilioris, quae stet pro lege; secus si quae favet libertati probabilior sit.

Lex, in qua, ceu nautico fidere, conscientia oculos figit, est rationis ordinatio in bonum commune ab eo, qui praeest communitati, promulgata. Inter eius species eminent naturalis, quae non est scripta, sed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex natura ipsa arripimus, hausimus, expressimus, ad quam non docti, sed facti; non instituti, sed imbuti sumus; cuius summa, declinare à malo, & facere bonum; quae tandem mutationem nescit, & dispensationem Divina etiam potestate inducendam. De ceteris eloquar legis divisionibus, earumque conditionibus.

Lex.

Cum celebre, pulcherrimumque virtutis nomen variis plerumque rebus explicandis adhiberi consueverit, sumitur hic à nobis pro perfectione quadam animi, quae bonis, honestisve actibus acquiritur, animumque ad actus illos iterum exerendos, inclinatur. Eius naturam optima complexus est definitione D. Augustinus, dicens, eam esse bonam qualitatem mentis, qua rectè vivitur, & nemo male utitur. Fluunt inde proprietates eius duae, scilicet medietatem quandam tenere, eaque neminem posse abuti. Infunt nobis à natura virtutum femina; sed habitus ipsi iteratis actibus producuntur, enim

Virtutis  
natura, &  
dotes.

*Virtutem voluere Dii sudore parari.*

Aegrotanti parti cum remedium debeat adhiberi, triplici in subiecto virtus collocanda est: in intellectu, in voluntate, & adpetitu sentiente. Opponitur virtuti vitium, eamque tollit de medio. Dicitur, mala qualitas mentis, qua malè vivitur, & non benè utitur; unde contra naturam hominis esse, planè conficitur. Plures vitii adferuntur divisiones, quas satius duximus in arenam mittere. Vitiorum causae ad extrinsecas, & intrinsecas revocantur,

Subiectum  
virtutum.

Vitium.

*Peccatum* de queis inibi. Peccatum propriè actus est à vitioso habitu elicitus, quodque à S. Auguſtino definitur, *dictum, factum, vel concupitum contra Legem aeternam*. Eius etiam partitiones plurimae, quas in agonem quoque relegamus, ubi annotare non pigebit modos, quibus peccator lethalis criminis reus in Deum infurgit. Sed virtutes revocemus.

*Virtutes cardinales.* Admirabilis illa virtutum varietas, quibus humanus animus veluti luminibus, seu lineamentis exornatur, ad quatuor veluti cardines reduci à Veteribus confuevit, à quibus profectò non est cur recedatur. Sunt illi Prudentia, Iustitia, Fortitudo, & Temperantia, quae hanc ob causam virtutes cardinales nuncupantur. In earum progenie numeranda, exponendaque palmam ceteris, doctorum iudicio, praeripuit Aquinas, quem potissimum in iis versandis sequemur, commentatoris partes in conflictu tantum pollicentes, praeter unam, aut alteram thesim levi manu exarandam, sustinendamque.

*Prudentia.* Prudentia, lux agendorum, ceterarum virtutum dos, fons, caput, norma, princeps, diffinitur à Platone, *Scientia felicitatis effectrix*: à Cicerone, *Rerum expetendarum scientia*: ab Aristotele verò aptissimè, *Recta ratio agibilium*. Plurima Prudentiam nobilitant; inter haec proprius eius actus praecipere, seu imperare, & virtutibus reliquis medium praestituere. Octo eius partes integrales recenset S. Thomas, rationem, intellectum, circumspectionem, providentiam, docilitatem, cautionem, memoriam, & solertiam, seu eustochiam, ex qua derivatur sollicitudo. Prudentia alia monastica, qua quis se ipsum regit; alia gubernatrix, qua quis corpus politicum moderatur. Scinditur haec iterum in oeconomiam, politicam, & militarem: Politica in architectonicam, & politicam simpliciter dictam: illa in monarchicam, aristocraticam, & democraticam. Tres inserviunt prudentiae virtutes ad eius aliquot actus, Eubulia, cuius contraria Panurgia; Synesis, cui adversatur Asynesia; & Gnome. In iis cunctis de prudentia, quàm uberem doctrinarum copiam nobis reliquerit S. Thomas, si nobis aures accomodes, nosces profectò.

*Iustitia.* Iustitia, rerum publicarum genitrix, custos, & moderatrix existit. Est illa *constans, & perpetua voluntas, ius suum*  
uni-

*unicuique tribuendi.* Iustitiae partes , declinare à malo , & facere bonum : Species sunt , Commutativa , Distributiva , & Legalis , cuius membrum Epiikeia. De iis abundè rogati. Esto thesis. Iudex secundum allegata , & probata tenetur iudicare , etiam contra propriam scientiam : ? Etiam si innocens probetur nocens ? Ita quidem. Numerosus virtutum commitatus adiungitur Iustitiae , scilicet , Religio , Pietas , Observantia , Veracitas , Gratitudo , Iustitia vindicativa , Liberalitas , Amicitia : Quarum in lucta commentatores agendo , interrogantis voluptati ibimus satisfactum.

Temperantia honestatis , dignitatisque hominis supra peccudes vindex , pulchrè à Cicerone dicitur , *Rationis in libidinem , atque alios non rectos impetus animi firma , & moderata dominatio.* Est igitur delectationum noxiarum rigida propulsatrix , innocentium verò aequa dispensatrix , ac veluti sal , quo conditae sapiunt , & à putredine praeservantur. Partes illius habentur Verecundia , & Honestas. Species autem quatuor numerantur , Abstinencia , Sobrietas , Castitas , & Pudicitia. Adiunguntur ei Continentia , Mansuetudo , Modestia , impetum affectuum nostrorum coërcentes , ac moderantes. Praebent & haec protrahendae orationis ansam.

Fortitudo Heroum propria dos , ac praecipuum decus , *Fortitudo.* publici boni monumentum , virtutumque omnium armigera , definitur à Cicerone ex Chryssippo , *Constitutio stabilis iudicii in iis rebus , quae formidolosae videntur , subeundis , & repellendis.* Duo ei tribuuntur actus , aggredi , scilicet , & sustinere. Primus admirabilior , splendidior , honorabiliorque videtur ; sed secundus , ut difficilior , sic praestantior est. Fortitudini adsunt Magnanimitas , Magnificencia , Patientia , & Perseverantia. Harum virtutum essentias , discrimina , characteres , maximè Magnanimitatis , illiusque cum humilitate concordiam , assignabimus. Mirandum heic , illud à viris doctis in quaestione positum esse , an ob summam calamitatem morte ipsa intolerabiliorem , ob atrocissimam etiam , ac ignominiae plenam mortem , liceat sibi vitam eripere : sed mirandum magis , Puffendorffium , ne in celebres antiquitatis auctores peccaret , in Deum , atque homines id fecisse , quaestionem in medio relinquendo. Pugnet ergo cum lege naturali suicidium , penesque Deum tantum  
ius

ius est vitae, & necis: pugnat item cum fortitudine; tantum actus furoris est, aut ignaviae.

Iam tandem virtutes omnes si simul aspexeris, si cum Prudentia colligatas, si perfectas dixeris, dum unam confessus es, te non habere, nullam, necesse est, te habiturum. Pressius: Virtutes in statu perfecto sunt connexae, non in statu imperfecto. Iis ad umbilicum lucubratiuncula perducta est, in qua aequo precor feratur animo, si quid in re, vel modo peccatum à me fuerit:

*Nam vitiis nemo sine nascitur.*

Illudque omnibus ratum esse, fixumque cupio, monitore ingenuo nihil accidere mihi posse iucundius, honorificentiusque. Tantum.

*Vt. D. D. Ioannes Vicent,  
Stud. Reg. & Rector.*

*Vt. D. D. Raymundus Albornòz, V. G.*

*Vt. Fernandez de Gatica Cens. Reg.*



**Imprimase.**  
*Eulate.*





